

87.

PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Anclam,

mit welchem zu der

öffentlichen Prüfung der Zöglinge,

Donnerstag, den 30. März,

und zur

Gedächtnissfeier der durch göttliche Gnade bewirkten Errettung

der Stadt Anclam von drohender Einäscherung

im Jahre 1713,

Freitag vor Judica, den 31. März,

in

grossen Hörsaale des neuen Gymnasiums

alle Freunde und Gönner des Gymnasiums im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

Dr. C. Peter,

Director und Consistorial- und Schulrath.



Inhalt:

- I. De Patrocleae compositione. Vom Oberlehrer Schütz.
- II. Jahres-Bericht. Vom Director.

Anclam, 1854.

Gedruckt bei Wilhelm Dietze.

gan
3 (1854)

118

PROGRAMM

Gymnasium zu Anklam



Donnerstag, den 30. März



Staatliche Lehrkräfte des neuen Gymnasiums



Dr. C. P. ...

- I. Die Lehrkräfte des neuen Gymnasiums
- II. Lehrkräfte des alten Gymnasiums

Anklam, 1844.

Verlegt bei Wilhelm ...

De Patrocleae compositione.

Homeri carmina non ex multis et variis poematis composita, sed ad unum summum auctorem et artificem referenda esse, a quo omnia tam prudenter et eleganter inter se conformata sint, ut paucis modo quibusdam hic illic omissis versiculis cetera jam paene omnia mirum in modum inter se cohaerere neque diversum variumque sermonis colorem prodere videantur, novissimis his annis diserte et ingeniose contra Lachmannum ejusque assectatores demonstrare conatus est Nitzschius libro, cujus nuper primam partem edidit.¹⁾ Cui in commentatione²⁾, quam conscripsit de reticentia Homeri, Schoemannus ita assentitur, ut quum universa ejus argumenta spectaverit, paene invitum se iis ad approbationem deduci confiteatur, ubi vero ad singula quaeque descenderit, acquiescere posse neget in illo judicio, sed paene confugiendum sibi esse ad Lachmanni auctoritatem et reliquorum, qui quum firmum et sibi constantem in iisdem carminibus omnino nullum modum vel ordinem reperisse sibi viderentur, in multas illa et minutas easque valde inter se contrarias partes dissolverunt, ita melius posse et facilius miras quasdam singularum partium repugnantias et sermonis varietatem et discrepantiam expediri tollique existimantes quam observata ea, quae antiquitus tradita est, compositione, praesertim quae ne certis quidem et exploratis veterum testimoniiis niteretur.

Ac mihi quidem egregium Nitzschii librum perlegenti simile quiddam accidisse libere confiteor, ut quo paratiore et promptiore animo in universam ejus sententiam abire vellem, eo graviore mihi et acriore scrupuli denuo injicerentur. Atque ipsum Schoemannum, quae est mira hujus viri doctrina consiliique sagacitas, paucis quidem, sed quae vix refutari posse videantur, rationibus ea quae sibi proposuerat, ita confirmavisse puto, ut equidem non dubitem, quin in omnibus Iliacis libris multa etiam nunc variorum carminum vestigia expressa cernantur. Itaque data hac scribendi facultate, quae in Patroclea iterum et saepius perlustrata me offendissent, ea partim ab aliis animadversa retractare partim neglecta, quantulacunque essent, colligere, et num quid inde de universo Patrocleae contextu formaque primaria conjici posset, paulo diligentius perscrutari constitui. Neque vero, quibus circumscripta est omnis quaestio mea angustioribus finibus, ut causam universam illam, in qua tot et tam docti viri elaboravere, persequerem, animum induxi, sed relicta quam primum tam lubrica et impedita via aequa et tuta petere malo quam ardua et periculosa, hoc unum comprobare satis habiturus, plures inesse easque graviore quam fortasse putentur, etiam in Patroclea iniquitates, quibus nisi recisis aut explanatis non possint sane et continuo inter se reliqua copulari. Quae res modo demonstratur, cetera jam minime curo, si quis Nitzschii rationem secutus additamenta talia et interpolationes nihil prorsus valere existimet ad unitatem carminum Homericorum evellendam, quippe quae multa complecti supervacanea et parum ferenda haud facile quisquam negaverit. Neque minus et ipsam hanc litem doctiori judici decernendam relinquo, num Hermanno aliisque post eum auctoribus fuisse parvam quandam Iliadem principale carmen et primarium existimandum sit, quod temporum progressu paulatim a rhapsodis et diasceuastis modo additis versibus singulis modo

1) Nitzsch, die Sagenpoesie der Griechen kritisch dargestellt. Die homerische Kunstepöe in nationaler Theorie. Braunschweig 1852.

2) Index scholarum in universitate literaria Gryphisvaldensi per semestre hibernum a. 1853-54 habendarum.

totis carminibus insertis et interjectis ad hanc nostram tanti circuitus magnitudinem aucta et producta sit, an cum Lachmanno faciendum et minorum, quae investigasse sibi videtur, carminum ratio³⁾ agnoscenda sit. Neque profecto inter utramque rationem tantum intercedere puto, quantum primo obtutu videri possit, quantumque viri nonnulli docti iudicavere. Quamvis enim unam fuisse minorem Iliadem jam antiquissimis temporibus ab uno, quisquis ille fuit, Homero conditam concesseris, hoc tamen nihilo minus confitendum erit, eam, quae ad nostram aetatem tradita est, Iliadem non paucis modo quibusdam et exiguis, qui facili opera dignoscantur, locis et versibus a rhapsodis adornatam, sed totis etiam sive carminibus sive carminum particulis passim auctam esse, et ita quidem auctam, ut de totius Iliadis ejus summa proba et incorrupta paene nihil jam supersit praeter communem illam fabulam in Graecorum ore propagatam de ira Achillis et altercatione cum Agamemnone. Contra substructum esse omnibus Iliacis carminibus velut unum popularis famae fundamentum partes vel maxime inter se disjunctas dissolutasque continens ne ii quidem infiliabuntur, qui summa voluntate Lachmannum secuti Iliadem omnem in XVIII vel etiam plura singula carmina distribuunt.

Quae quum ita sint, facere tamen non possum, ut tertiam quandam opinionem in medio positam, qua non mediocriter commotus sum, plane intactam relinquam. Grotius enim⁴⁾, cujus nuperrime strenuus exstitit inter nos vindex Friedlaender⁵⁾, in historia Graeca pari prope a Nitzschio et Lachmanno intervallo remotus Odyseam quidem poema esse docet unum et simplex et, quoad fieri potuerit per tam immensam temporum diuturnitatem, per omnes fere numeros perfectum, Iliadem contra in duo potissimum poemata dividit, unam Achilleidem, libris I, VIII, IX, sequentibus, quae mala ex Achillis ira quantaque calamitates acciderint, narrantem, alteram minorem neque vero minoris faciendam Iliadem, quae nullo fere praeter communem illam belli Trojani fabulam cum Achilleide conjuncta vinculo libris II—VII aliam prorsus ejus expeditionis partem comprehendat. Quae poemata quum ratione non plane emendata et probabili multo jam ante Pisistrati aetatem conglutinata sint, hanc nostram exstitisse Iliadem, cujus quae parum inter se partes conveniant, ita facile et explicari et defendi possint.

Ne multa, omnis fere causa huc videtur reduci posse, ut quaeratur, num carminum Homericorum natura illa simplex et una populari quadam ratione nitatur in Graecorum mentibus ficta et concepta, ex quo velut communi fonte tanta inter omnia, quae eo pertineant, similitudo intercesserit, ut quamvis multa diversae originis vestigia vel ad nostram memoriam proderentur, summa tamen argumenti haud difficulter uno quasi poematum corpore comprehenderetur, an fieri potuisset censeamus, [ut tam divini carminis summa et copia tam antiquis praesertim temporibus unius vel maximi poetae ingenio conciperetur et ita conciperetur, ut ratio popularis illa, de qua tam multa tamque egregia Nitzschius, non ex universa modo ipsius populi indole ad poetarum mentem redundaret, verum etiam ab hoc recepta in perpetuum propagaretur.

Ita praemissis iis, quae necessario videbantur dicenda esse, jam ad ipsam rem propositam aggrediamur. Sed quum de Patroclea loquor, non eum modo, qui vulgo ita inscribitur, Iliadis librum XVI hoc nomine intellectum volo, sed una comprehensum etiam librum XVII et XVIII partem priorem usque ad v. 368, ubi occisi Patrocli corpus multis et acerrimis jactatum certaminibus tandem ipsius Achillis opera interposita servatum ad Myrmidonum tabernacula deducitur. Ac licuisse quidem hoc nobis facere, vix quisquam infitias ibit, quum in tanta Homericorum poematum copia vituperatione vacare videatur, si quis unam quamlibet partem in se ipsa conclusam et definitam, de qua accuratius ageret, delegerit. Et ipse Lachmannus in quaestionibus Homericis librum XVII a XVI separari posse negat, cujus argumentum cum illo tam arcte cohaereat, ut aut ab eodem, qui librum XVI vel quod investigasse sibi videtur carmen XV composuerit, auctore hoc carmen profectum esse oporteat, aut certe ab imitatore quam proxime illius exemplum secuto⁶⁾. Cui quo lubentius assentior, eo aegrius persuadere mihi possum, libri XVIII initium, ut idem⁷⁾ vult, a Patroclea secernendum esse;

3) Betrachtungen über Homer's Ilias von Karl Lachmann. Mit Zusätzen von Moriz Haupt. Berlin 1847.

4) G. Grote history of Greece. Deutsch von Dr. Meissner. Leipzig 1850.

5) Die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Von Dr. Ludwig Friedlaender. Berlin 1853.

6) Lachmann Betrachtungen cet. pag. 74.

7) Betrachtungen cet. p. 79.

nam hoc demum libro omnia, quae jam libris XVI et XVII aguntur, ad finem perducuntur, atque cujus herois laudes virtutesque canat, ejus corpus in medio poetam reliquisse certamine, vix credibile est. — Ex contrario Lachmannus finem etiam libri XV inde a versu 592 carmini suo XV addit, sed qua causa id fecerit, in incerto reliquit. Mihi quidem libri XV extrema pars melius videtur cum reliquo libro XV conjungi posse neque ulla necessitas cogere ad ipsum librum XV hoc loco dirimendum. Si unum esse Patrocleam carmen per se ipsum finitum constat, aptius profecto est hoc carmen ab ipso heroe ordiri, quem celebraturus poeta est. Contra in fine libri XV tristis et misera describitur Achivorum conditio, certa jam victoria Hectoris et Trojanorum, quibus acerrime instantibus terga vertere illi et ad naves confugere coguntur. At caedes ista Achivorum ex universa fabula satis superque nota est, eademque, ita ut in nostro carmine fieri oportebat, brevi et succincta oratione atque ad principem carminis heroem evidentissime spectans libri XVI v. 102—124 narratur et in Achillis Patroclique colloquio ibid. 22—45 et 66—79 ita commemoratur, ut nemini dubium sit, quo in discrimine acies versetur. Atque adeo ne aptum quidem hujus carminis esse principium contendo, si repetatur a libri XV v. 592, ubi nec proelii status nec Jovis consilia clare et dilucide proponantur: Trojani enim leonibus similes naves aggrediuntur, at satis procul eos etiamtum a navibus remotos esse paulo post elucet, quippe qui versu demum 653 dicantur in navium conspectum venisse; Jovis consilium paulo longius explicatur tum demum conservatis navibus salutem Achivis et Trojanorum propulsationem (*παλιώξιν*) se praebiturum minantis, quum Hector ignem jam navibus injecerit; at nihil istic de Patroclo auxilio Achivis ab Achille misso, quod si hoc loco reticeretur, cui bono omne Jovis consilium? Quodsi hoc modo rem gerere vellet poeta, melius, opinor, ita carmen instituisset, ut convocata deorum concione superis consilium proponeret, id quod libri VIII initio et aliis permultis locis factum videmus. Cognita jam deorum voluntate excipere poterat caedes atque perniciēs Achivorum, unde ad Achillis Patroclique colloquium facillima erat transitio. — Sed videtur poeta noster, ut in Diomedeā factum est, neglectis omnibus expositionis artificijs etiam simplicius nos in medias herois sui laudes inducere voluisse; nam primum hujus libri versum

ὥς οἱ μὲν περὶ νηὸς ἐνσέλωμοιο μάχοντο

non vere et proprie ad librum XVI pertinere, sed ad hunc cum antecedenti conjungendum insertum esse, vix est, quod demonstrandum sit. — Accedit ad nostram de Patrocleae initio opinionem sustentandam, quod Achivorum ea, quae inde a v. 102 describitur, conditio, ut infra videbimus, multis rebus vehementer abhorret a libri XV narratione: quam discrepantiam quum non possit Lachmannus nisi deletis quibusdam versibus dissolvere, nos facile feremus.

Universum autem carmen in duas potissimum partes dividitur, quarum una, quae libro XVI continetur, res a vivo Patroclo gestas, altera libro XVII et XVIII initio certamina de interfecti illius corpore commissa complectitur. Ac priorem illam quidem quamvis strictim inspicientibus facile intelligere licet, majore in se concinnitate rerumque convenientia uti; omnia vero secundo profluere cursu ne ii quidem persuadere sibi potuerunt, qui quam maxime Iliacorum carminum unitatem et cohaerentiam defenderunt. Itaque jam in primis hujus libri versibus ab interpretibus gravis quaedam repugnantia animadversa est, quam, quum satis de ea actum sit ab aliis quumque abhorreat paulum a nostro proposito, quippe quae minus ad ipsum nostram carmen quam ad eam, quae inter hoc et cetera carmina HomERICA intercedat, conditionem spectet, ne omnino neglexisse videamur, leviter tantum et breviter attingemus. Missum enim esse ab Achille Patroclum constat, ut, quae gererentur in proelio, percontaretur sibi que renuntiaret. Cujus missionis hic mentio nulla; contra quum flentem videat, quasi admirationis plenus quaerit Achilles ex amico, quae tantae sit causa tristitiae: num forte suo vel ipsius patri mala domi acciderint, an, id quod velut cunctanter addit, tantopere ipsi Achivorum cordi sit calamitas, ita ut non videatur, num Achivis mala evenerint, Achilles quaerere, sed num de ista calamitate satis jam sibi cognita et comperta queratur. Quae repugnantia expediri quidem ita potest, ut misericordia commotus Achilles non jam, quid dicturus sit Patroclus, exspectare, sed statim, quae causa sit lacrymarum, interrogare existimetur. Ac profecto in eo non inesse concedo, quo quis offendatur; tamen qui tot verbis domone malos nuntios acceperit, quaerere possit, equidem non video. Et morari quidem Achillem de industria et vereri Achivorum fortunam Patroclum interrogare itaque ad alia quaelibet se convertere etiam per se minus probabilia, modo ne sua mens in dubitationem adducatur, utrum auxilium sit ferendum an odium

retinendum, simulare igitur mirationem illam et loquendi ambagibus, ut amicum quoque a consiliis abducat, rem extrahere, ea licet omnia ab humani quidem animi natura non aliena fuerint, parum tamen, opinor, Achillis animo, qui simplex est et minime subdolos, accommodata sunt. Accedit, ut nihil Patroclus miretur, quod ille, quo se consilio ad exercitum miserit, oblitus sit. Quare quum ne in reliquis quidem, ubi id fortasse exspectaveris, Patrocleae partibus ulla missi ab Achille Patrocli commemoratio deprehendatur, missis jam talium et similium rationum argutiis hoc teneamus, aut ignorare Patrocleae poetam hanc antecedentium carminum narrationem aut negligere ut parum suo consilio convenientem.

V. 71 — 73 in suspicionem vocavit Nitzschius⁸⁾: nam quum in libro IX per legationem Achilli Agamemnon de omnibus injuriis libenter se satisfacturum pollicitus esset, neque Briseidem modo redditurum, sed multa etiam et majora dona additurum, non potuisse fieri, ut hoc loco Achilles de regis, qui in gratiam secum redire nollet, iniquitate tam acerbe quereretur. Itaque quum profici nihil, si v. 73 *ἄρτια* vel *ἄρθμια* pro *ἤνια εἰδέειν* scriberetur, bene intelligeret, non illos modo versus, sed totum locum a v. 69 usque ad v. 79 ut subditum delendum et pro *ἀλλὰ καὶ ὄς* v. 80 *ἀλλ' ἄγε δὴ* scribendum censuit. At ego cum Schoemanno⁹⁾ puto ad tutandam totius Iiadis unitatem suspectum illi locum fuisse, in quo nihil insit offensionis; nam quod aperte hoc loco ad libri IX legationem referatur, nihil invenio. Ipsi v. 60—63, etiamsi dubites, quod facilimum est, v. 61 *ἔφην γε* cum Schoemanno de tacita cogitatione dictum putare, non tamen necessario ad librum IX potius respicitur quam ad universam de Achillis ira fabulam, quam non prius depositurus fuisse traditur, quam ad suas naves venisset belli strepitus. Quibus positus nihil jam est, cur miremur, quod Achilles sibi irasci etiam tum regem existimet neque velle petenti sibi satis facere. Neque saniores profecto quam illi versus, si Nitzschium sequamur, v. 85 et 86 videri possunt, quibus diserte Achilles sperare se dicit, lati auxilii mercedem Achivos et virginem remissuros et pulchra dona (*ἀγλαὰ δῶρα*) adjecturos esse, unde procul dubio, opinor, conjici potest, nulla dum ab Agamemnone dona oblata esse. Jam vero quod longius Achilles, quam fieri opus erat, tristem Achivorum conditionem exponit, ne id quidem supervacaneum aut alienum a poetae consilio est. Laetus enim fingitur Achilles Achivorum miseriis, quae quum sua opera destitutos invalidos illos esse demonstrent tum audivisse Jovem suas Thetidisque preces et promissa praestitisse certissimo documento sint. Neque vero obscure in ipsis illis versibus 69 — 79 jactatio quaedam Achillis Agamemnonisque irrisio cognoscitur, quod viri, in quibus summam spem rex posuerat, nobilissimi jam vulneribus defatigati et ab acie procul remoti nihil ei opitulari possint quodque ipsam regis vocem suos ad fortitudinem incitantis non jam audiat. Atque ne hoc quidem omittendum est, quod, quo miserabilior sit Achivorum calamitas, eo majorem sperat suam futuram esse, si tantas difficultates superaverit, gloriam, et quo luculentius Agamemnon cognoverit *ἦν ἄτην, οἳ ἄριστον Ἀχαιοῶν οὐδὲν εἴπεν* v. 274, eo majoribus laudibus honoribusque suum nomen elatum iri. Honorem autem istum suum majori Achilli curae esse quam ut adjuventur Achivi, et ipse confitetur Nitzschius et v. 84 perspicuum est. Ita ne in v. 80 quidem quicquam mutandum est, sed egregie se habet vulgatum illud *ἀλλὰ καὶ ὄς*: quamvis magnae, inquit Achilles, illae difficultates sint, quibus occurre, tamen ad bellum te confer; nam quo difficilius auxilium, eo majores et tui et mei honores erunt.

Alia difficultas, quae in initio libri XVI occurrit, missa ista carminum inter se convenientia, et ipsa facile solvitur. Apertum enim est primo quoque obtutu, eam, quae versibus 102—124 refertur, supremi Achivorum laboris descriptionem non omnino cum illis, quae libri XV v. 674—746 narrantur, congruere. Hoc enim loco Ajax Telamonius cum animi quadam desperatione ultimum jam navibus auxilium laturus quoque versus hastam ingentem vibrat, aggredientes multos ad inferos demittit nec loco cedere vult, dum Jovis consilio adjutus Hector prospero ictu illius telum perfringit. Quo facto heros ingens cognita fortuna deorumque voluntate obstupefactus horret, recedit a navi eo usque defensa, Hectorem ignem in eam injicere patitur. Ad primo quidem, id quod jam Lachmannus p. 68 animadvertit, idem versus 102 repetitur, qui jam libri XV. v. 727 legitur:

Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσαν.

8) Nitzschius p. 180—182.

9) p. 13—15.

famen vero si jam illo superiore loco eo reductus erat Ajax, ut sustinere telorum impetum non posset, qui poterat usque ad hoc tempus tam diu Hectori resistere? Simillima certe utroque loco pugnae est conditio: illic de navi Protesilai agitur, hic quamquam aperte Protesilai navis non commemoratur, de navi tamen certamen fit, quam, ut supra, defendit Ajax, aggreditur Hector; illic navis a plustria manu comprehendit Hector ignemque ferri jubet, cujus imperio, ut v. 731 liquet, a Trojanis obtemperatur, hic eadem omnia fiunt, postquam fracta hasta Ajax salute desperata a navi recessit. Insunt etiam in ipsa libri XV narratione quaedam repugnantiae, quas Lachmannus p. 69 solvisse se confidit recisis v. 727—732 et in unum coactis. Cui an assentiendum sit, nescio jam ea causa, quod v. 730 Ajax, qui supra v. 677 contum navalem ferro praefixum duorum et viginti pedum manibus gestare traditur, idem non jam contum, sed hastam gerit. At manet ista difficultas, nam eadem hasta occurrit in libri XVI v. 114; accedunt etiam aliae, quas vix effugere poterimus, nisi recesserimus a Lachmanni sententia libri XV finem Patrocleae esse initium arbitrantis, quem secuti tantas discrepantias tam parvulo interposito intervallo nullo modo feremus. Nam ut omittam, hasta hoc loco Ajacem uti, ne hoc quidem extra dubitationem est, utrum in navi, ut libro XV, insistens aut ab una in alteram saliens dimicet Ajax an pro navibus hosti se opponat. Imo vero, ex iis, quae deinceps narrantur, jure vel contrarium conjici licet. V. enim 114 Hector proxime ad eum accedit gladioque ejus hastam percudit: quod qui fieri poterat, si in navi ille insisteret et, ut libri XV v. 727—732 dictum est, paulo a navis a plustribus esset remotior? Ita vero ipsum Hectorem navem conscendisse oportebat, quod factum esse nec narratur, et quum ignem ei injici jubeat, quo pacto credibile videtur? Alio modo omnino fieri non poterat, ut ad navem et Ajacem propius accederet, quippe qui secundum libri XV v. 716—717 puppim jam manu teneret itaque quam proxime esset aggressus. Quid porro consilii poetae fuisse putemus, cur extremo libro XV subito proelii descriptionem interrumperet, necdum finito, ad quod transierat, Achillis Patroclique colloquio ad illam reverteretur idque ita, ut nihil novi adderet? Si quanto in discrimine res versaretur, ostendere vellet, certe in secunda descriptionis parte actionis aliquam progressionem cognosci oportebat; festinare quoque debebat Patroclus tam praesenti inspecto periculo, ut omnem salutem in celeritate positam esse appareret. At is, quasi suspensos tenere vellet poeta et excruciare animos, summa paene securitate aciem instruit, arma induit, ordines perlustat, milites alloquitur, tum demum proficiscitur. Itaque qui Lachmannum sequitur, ei nihil reliquum esse puto, nisi ut omnem locum a v. 101—129 velut interpolatum recidat; nam si versum 100 aut (quoniam v. 97—100 procul dubio a malo interpolatore inserti sunt) versum 96 continuo v. 130 excipiat, nihil omnino desiderari manifestum est. At mihi videtur loco nostro nec repetita nec continuata superioris certaminis narratio esse. Digressio ista, si ita appellanda est, non solum aptissime et pulcherrime, sed etiam necessario a Patrocleae poeta hoc loco inserta est: ita enim inspecto, non audito navis incendio (tam prope instare periculum ne ipse quidem Patroclus videtur scivisse, quippe qui propulsos quidem et ad mare conjectos Achivos, neque vero Hectorem jam ignem navibus immisisset tradiderit v. 24, 45, cf. 67, 81) jam ipse Achilles vereri coepit, ne combustis navibus salutis spes omnis rescindatur, jamque, qui paulo ante vix Patrocli precibus commoveri se passus erat, ipse illum ad festinandum incitat. Una tamen nihilo minus restat difficultas. Ajax enim cessisse nec sustinuisse Trojanorum impetum jam v. 102 narratur; tamen tantum abest, ut fugerit, ut versibus sequentibus eodem eum quo antea animo defendisse naves legamus et submovisse ab iis Trojanorum aciem; quin etiam ne restitisse quidem ei Trojanos comperimus, de quibus v. 107—108:

οὐδ' ἐδύναντο

ἀμφ' αὐτῷ πελεμίζαι ἐρείδοντες βελέεσσιν.

V. Demum 122 re vera recedit heros hasta, ut supra demonstratum est, fracta, ad quam rem velut atrocissimam et inauditam v. 112 et 113 ipsae Musae invocantur. At ea me minime movent. Cur enim poeta, quae paulo post accuratius expositurus esset, non jam antea brevi comprehenderet et tamquam praediceret?

Immerito Lachmannus¹⁰⁾ impugnat v. 273 et 274, quos a Patroclo opem Achivis laturo minus apte pronunciari putat, quam ab Achille I, 411 interitum Achivorum a Jove precante. At jam supra ad v. 84 vidimus multo majori curae suum Achilli honorem esse quam sociorum salutem; itaque etiam Patroclus et Myr-

10) p. 71.

midones omnes id potissimum agunt, ut regem suum in pristinum apud exercitum honorem restituant. Id vero fieri quomodo poterat, nisi prius errorem suum Agamemnon animique stultitiam (*ἄτην*) cognoverat? Itaque equidem de oratione illa Patrocli nihil mutandum arbitror.

Neque magis Lachmanno¹¹⁾ assentior, pro confesso et explorato putanti v. 283 ex libr. XIV, 507 sumptum esse, quod aperte v. 303 nondum fugisse Trojani dicantur, sed a navibus tantum recessisse. At suspectus ille versus:

πάτηγεν δὲ ἕκαστος ὅτη φύγοι αἰπὸν ὄλεθρον,

nondum revera fugam significat, sed terrorem pavoremque viso Patroclo, quem Achillem esse suspicantur, in Trojanorum animis exortum. Neque contemnendus sane successus est, quum vixdum conspecto Patroclo navis, de qua tam diu dimicatum erat, servetur omnesque Achivi ex summo discrimine eripiantur.

Sequitur locus multo sane difficilior: Fusis enim v. 356 et 357 et a navibus rejectis Trojanis Hector cognito jam cladis initio Ajacis, cui etiamtum prudenter ac fortiter resistit, impetum ingenti scuto protectus sustinuisse narratur necdum fugisse, sed tuitus esse strenuos socios. V. 363:

ἀλλὰ καὶ ὡς ἀνέμυνε, σάω δ' ἐρήρας ἑταίρους.

Nihilo tamen secius continuo idem v. 367 fugit suosque deserit. Neque tanta consilii mutatio fit gravi aliqua clade accepta; nam nihil interea accidit gravius, sed Trojanorum fuga v. 364—366 cum saevissimae tempestatis strepitu comparatur. Num igitur credibile videtur, heroem fortissimum nulla re memorabili gesta fugisse, praesertim qui praesenti eo usque deorum auxilio uteretur? Atque quo magis mireris, confer illa, quae post Sarpedonis caedem de Hectore narrantur. Patroclus enim quum primo terrore, quem adventus ejus effecerat, a navibus hostes propulsasset, cum Myrmidonibus contra Lycios potissimum intra naves, flumen, murum inclusos¹²⁾ se ipse convertit, pugna cum Hectore et Trojanis, ut jam supra vidimus, Ajaci ejusque sociis relicta. Sequitur singulare cum Sarpedone certamen v. 419—507, totius Patrocleae pars facile pulcherrima. Cadit Sarpedon, succedit in occisi locum Glaucus, qui secundum libri XII v. 387—391 a Teucro vulneratus celeriter ab Apolline curatur et Trojanos cum Hectore, ut Sarpedonis corpus Achivis eripiant, impellit v. 508—547; quo facto proelium inter Trojanos et Hectorem et Achivos Patroclo et Ajacibus ducibus redintegratur, dum superati terga vertunt Trojani v. 656 sequ.

Ibi primo quidem hoc mirum est, quod subito Hector, qui, si v. 367 sequ.

Ἐκτορα δ' ἵπποι

ἔκφερον ἀκίποδες σὺν τεύχεσι, λείπε δὲ λαόν

Τρωϊκόν, οὗς ἀέκοντας ὀρνκτὴ τάφρος ἔρυκεν,

fides habetur, jam trans fossam fugisse cogitandus est, in Trojanorum, quos modo deseruerat, acie apud Polydamantem, Agenorem, Aenean v. 536 deprehenditur. Num igitur interea *κατὰ τὸ σιωπώμενον* rediit? Facilis ea quidem conjectura, sed quomodo id a poeta silentio praetermitti poterat? An inter superiorem Patrocli et Sarpedonis pugnam et ipsi Trojani fossam trajecerunt? At relictos eos esse ab Hectore supra narratum erat, neque ipsum Glaucum a Lyciis intra fossam et naves interclusis tam procul remotum fuisse interfectique regis et amici corpus deseruisse probabile est, ita sine dubio Achivorum et Patrocli praedam futuram, qui jam v. 507 Sarpedonis curru sine ullo certamine potiti sunt.

Sed nova hoc loco occurrit multo etiam gravior difficultas, qua ad superiorem illam accedente vix dubitaverim, quin hic aliquid parum commode suppositum sit. Glaucus enim tam prope Sarpedonem est, ut vel morientis amici vocem exaudire queat. Qui tandem id cum libr. XII v. 387—391 congruit, qui versus ex parte hic ad verbum repetuntur? Ibi enim in pugna de Achivorum muro commissa sagitta a Teucro vulneratus et, ut a certamine discederet, coactus clam ceteris a muro in campum Trojanum se receperat; scilicet muro nondum expugnato receptus in quem alium locum dabatur? Cujus rei minime ignarus, quippe qui v. 392 vulneratum eum abire vehementer doleret, tamen Sarpedon hoc loco eum, quasi praesens esset et adjuvare se posset, alloquitur. Itaque nisi omne Glauci auxilium subditivum esse volumus, id quod vix quisquam

11) p. 72.

12) cf. v. 395—397.

bono consilio confirmaverit, hoc reliquum est, ut nostrum poetam Glauci vulnerationem ignorare eumque inter ipsos Lycios non procul a Sarpedone pugnantem facere arbitremur¹³⁾. Omnis igitur mira illa curatio per Apollinem facta v. 509—531 suspecta est et eo consilio videtur hic interposita esse, ut cum libro XII. Patroclea congrueret. Quo posito optime versum 508 excipit v. 532 neque quicquam inter eos requiritur.

Neque vero alteram illam offensionem scio, qua ratione solvam, nisi eam quoque Hectoris fugam, de qua supra ad v. 367 — 369 demonstratum est, parum commode illi loco insertam esse conjeceris. Jam enim ipsa tanta ignavia quo modo Hectori condonanda est, quod desertis sociis prius ad fugam se verterit, quam magnum aliquem heroem cecidisse cognovisset? Imo vero fugam, opinor, v. demum 656 sequi. Hector capessit neque ibi fugit desertis Trojanis, sed ut et ipsi fugerent, admonitis:

Ἐκτορι δὲ πρωτίστῳ ἀνάγκη δα Φυμὸν ἐνήκεν·
 εἰς δίφρον δ' ἀναβὰς φύγαδ' ἔτραπε, κέκλειτο δ' ἄλλους
 Τρῶας φευγέμεναι·

Optime hic se omnia habent: Juppiter ipse, ut Patroclus ad urbem usque progredere, consilium cepit; quare Hector cognita dei voluntate (v. 658 γνῶ γὰρ Αἰὼς ἰρὰ πάλαντα) etiam Trojanos ad fugam hortatur. Illic v. 367—369 Hectoris fuga v. antecedentibus 359—363 repugnat, hic fato coactus bene heros recedit; illic adversus unum Ajacem, paulo ante vix sibi parem, ancipiti proelio pugnat, hic jam cum ipso Patroclo et Myrmidonibus consertis manibus victus abit.

Sed etiam ejectionis v. 367 — 369 manet aliqua offensio: v. enim sequentibus — 393 fuga describitur Trojanorum repentina et incondita, qua ipse jam Hector abripitur. Ferri id quidem posse concedo; nam ut remaneat dux fugientibus ceteris et unus Ajaci ceterisque, qui eum sequuntur, viris fortibus resistat, haud facile quisquam postulaverit; tamen jam hoc loco Hectorem omnesque Trojanos in effusam, priusquam aliquod gravius accidisset, fugam conversos esse, aegre persuadere mihi possum. Itaque respectis comparatisque iis, quae pugnam de Sarpedone commissam sequuntur, suspicio mihi quaedam exorta est prava fortasse et nimis audax, quam tamen in medium quin proferam, facere non possum. Fuis enim fugatisque v. 656—697 Trojanis nulla fit fossae mentio, apud quam caedem atrocissimam factum iri jure exspectamus, sed quasi nullum jam intercedat impedimentum, ita Trojani fugientes, persequentes et instantes Achivi ad urbis usque moenia procedunt. At pugnam de Sarpedonis corpore intra fossam et naves accidisse, neminem effugiet, qui considerate carmen perlegerit¹⁴⁾. Atque universa hoc loco Trojanorum fuga frigide et parum convenienter, ne dicam inepte describitur, ita ut omnes v. 684—697 ad lacunam, quae inter fugam Trojanorum et nova Patrocli certamina inde a v. 698 subsequenter intercedit, explendam insertos esse existimem. Nam paene omnia hic prava et inepta sunt. Ac primos quidem v. 684 et 685

Πάτροκλος δ' ἔπιποισι καὶ Αὐτομέδοντι κελεύσας
 Τρῶας καὶ Ἀκίους μετεκίαθε —

si conferantur cum plena illa atrocissimi certaminis descriptione, jejunos et languidos esse quis non videt? V. vero 685—688

καὶ μέγ' ἀάσθη
 νήπιος· εἰ δὲ ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν,
 ἢ τ' ἂν ὑπέκφυγε κῆρα κακὴν μέλανος θανάτιο·
 ἀλλ' αἰεὶ τε Αἰὼς κρείσσων νόος ἢ ἐπερ ἀνδρῶν·

non minus mihi videntur inepti esse, quam sequentes duo, quos ex libr. XVII v. 177 seq. huc irrepsisse manifestum est. Nam et illi repugnantiam quandam continent. Patroclus enim ut moreretur, fato destinatum erat, ut paulo infra v. 693:

ὄτε δὴ σε θεοὶ θάνατιόνδε κάλεσσαν.

quo igitur pacto hic dici potest futurum fuisse, ut mortem effugeret, si Achillis praeceptis obtemperasset, quibus ne obtemperaret, ipso deorum consilio provisum erat. Quod abripitur adversa fortuna neque quicquam amici mandata et consilia prosunt, in eo ipso aliquid vel maxime tragici cernitur. Denique ne v. quidem 692 et 693 ferre possum:

13) Idem Lachmannus judicat p. 72.

14) Cf. inprimis v. 394 sequ., qui nullam de ea re dubitationem relinquunt.

ἐνθα τίνα πρόϊον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξας,
 Παιρόκλεις, ὅτε δὴ σε θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν;

Neque enim qui continuo 694 — 697 nominantur, ultimi a Patroclo caeduntur, sed diu etiam tum saevit illi necdum ullus certaminis finis.

Itaque quam supra raptim et improvise ad fossam fugam factam mirati sumus, eam hic vel maxime requirimus. Quare excusabor fortasse, si totam illam fugam 364 — 393 (recisis tamen tribus v. 367 — 369, quoniam Trojanos ab Hectore citra fossam desertos esse ne sic quidem probabile est) ad hunc locum transulero. Qua facta transmutatione quanto melius et concinnius omnia procedant, vix quemquam negatorum esse confido. Videtur enim positus illis permutationibus integer et perpetuus harum carminis partium contextus hic fuisse: Patroclus cum Myrmidonibus omnem Trojanorum exercitum aggreditur primoque impetu a navibus repellit; repressis iis et in summum terrorem necdum tamen in apertam fugam coniectis contra Lycios se convertit, quorum regem occidit. Atque egregie quidem cum Hectore nondum congreditur; nam quum utriusque mors nondum destinata sit, bene illi, dum fato Patroclus functus sit, a diis distinentur. Quare dum in ceteris saeviunt Myrmidones, contra Ajacem Hectore pugna relinquitur, adversarium in omni fere Iliade proprium ejus et singularem. Et paulatim quidem recedere coguntur Trojani nec tamen foeda jam dissolutaque fuga fossam trajecerunt. Priusquam enim trajiciunt, a Glauco ad novam de Sarpedonis corpore pugnam evocantur; neque in ea Glauco oratione v. 538 — 547 quicquam inest, ex quo fugisse jam illos conjeceris, imo vero servare etiam tum ordines videntur. Audito tanti ducis interitu ira et miseratione commoti reficiunt animos repressoque pede novam instituunt aciem, ita ut de Sarpedonis corpore ab altera parte Myrmidones et Achivi Patroclo nimirum et Ajace, ab altera Lycii et Trojani et Dardani Glauco, Hectore, Aenea ducibus¹⁵⁾ vehementissime confligant. Cujus proelii atrocitas vel eo significatur, quod v. 567 et 568, quo saevius fieret certamen, Jupiter tenebras perniciosas effudisse dicitur. Idem libro XVII in Patrocli honorem fieri infra videbimus. Postquam diu utrimque acriter dimicatum est, ipsius Jovis consilio Trojani fugam capiunt. Quae Jovis deliberatio huic loco maxime accommodata est: jam enim res in ultimum discrimen vocata erat; nisi enim fugerent Trojani, jam ipsum Patroclum fato nondum expleto mori necesse fuit, neque igitur id quod voluerat, perfecisset poeta, ut non fossam modo Patroclus trajiceret, verum etiam urbis moenia aggredederetur.

Descripta tumultuaria illa fuga plane in hoc libro cetera omnia ad finem percurrunt: A Trojae moenibus, quae quater frustra insana mente ascendere conatur, ab Apolline Patroclus repellitur, de quo in turri Trojana stante infra agemus. Surgit tum denuo Hector ab eodem deo excitatus et adjutus; subsistunt Achivi tanti herois aspectu perterriti; necato Cebrione, Hectoris auriga, novum oritur de illius corpore certamen superiori simillimum, sed pulcre grateque variatum; vincunt tandem vel fato superiores Achivi v. 780 et potiuntur corpore. Iterum saevissime furit Patroclus: ter irruens in hostium aciem ter novem viros occidit, sed quartum impetum furibundo animo faciens mortem occumbit conjunctis Apollinis, Euphorbi, Hectoris viribus. Ita dignissime tanto heroe prior haec Patrocleae pars finitur.

Priusquam vero ad alteram partem transeam, restat, ut de rebus nonnullis loquar supra, ne totius carminis summam interrumperem, omissis. Miror Lachmannum, quibus locis¹⁶⁾ murum Achivorum in Patroclea commemorari negat, v. 397 neglexisse, quo v. murum castrensem significari manifestum est. An illum Lachmannus urbanum murum intellectum vult? at repugnat recta ejus loci interpretatio. Ac v. quidem 512 cum Lachmanno me ejicere supra dixi, de v. 558 infra exponam. Quartus superest locus libri XVIII v. 215, quo et ipso murus affertur, ita ut dubitatio nulla esse possit, quin erraverit Lachmannus, ignorari murum castrensem in Patroclea et hunc ipsum murum pro documento esse confirmans, librum XVIII a Patroclea separandum esse. Consentio cum Friedlaendero¹⁷⁾, qui etiam aliis argumentis falsam Lachmanni esse opinionem ostendit; sed is quoque, quantum video, hunc v. 397 praetermisit.

15) cf. v. 536 et 564.

16) cf. p. 67, 72, 79.

17) Homeric Kritik pag. 82 et 83.

Deorum in Patroclea praeter Jovem Apollinem maxime coli, neminem facile effugiet, quippe qui multo saepius quam ceteri rebus humanis intercedat. Ac duos quidem locos, v. 666 — 683 et 698 — 711, quibus Trojanorum, ut solet, fautor et adiutor ille existit, ejiciendos esse Lachmannus¹⁸⁾ arbitratur. De quibus ne retractandis et illius et aliorum dubitationibus longus sim, quid sentiam, quam brevissime dicam, praesertim quum aequo fere jure videam de ea re in utramque partem facile disputari posse. Atque inter priorem locum v. 666—683 et Jovis Junonisque colloquium v. 432—458 ea ratio intercedit, ut una illi versus aut retinendi aut ejiciendi videantur. Juppiter enim, quum congregientem cum Patroclo Sarpedonem videat, apud Junonem v. 432 seqq. queritur: dubitare se, utrum Sarpedonem mori jam patiat an eripiat ex hostis manibus. Cui Juno respondet: fato esse parendum; ceterum, si misereat eum filii, tradat eum Somno Mortique in Lyciam auferendum. Altero loco 666 — 683 occiso Sarpedone jam Apollo a patre ea, quae suaserat Juno, exsequi jubetur. Tanta praeterea utroque loco sermonis similitudo est, ut aut ab eodem eos auctore ortos aut unum alterius imitationem esse facile possit conjici. Cf. v. 454—457 et 671—675, 668—673 et 678—683. Ac notum est, hos locos jam Zenodoto suspectos fuisse, qui in scholiis ad v. 432 idcirco reprehenditur. At ego Lachmanno assentior ornamenta haec esse judicanti temere fabulae inserta. Recte idem Zenodoti ad v. 666 emendationem

καὶ τότε ἄρ' ἔξ Ἰδης προσέφη Ζεὺς ὄν φίλον νιόν,

cum scholiis consentiens ineptam existimat; sed cur priorem locum false Zenod. reseuerit, nec dixit ille neque ego video. Ceterum utrumque locum eidem auctori deberi suspicor, qui Glauci precationem condiderit; sed latius ea res patet et ad alias quoque quasdam partes pertinet, de quibus v. infra.

Tertium locum v. 698 — 711 sine probabili ratione Lachmannum in suspicionem vocare opinor. Patroclum enim urbis moenia aggressurum, jam ab initio carminis erat consentaneum, quippe quem eo usque progredi Achilles vetaret v. 89 — 92. Qui porro melius poeta herois sui laudes celebrare poterat, quam ita ut per unum Apollinem staret, quominus urbem caperet. Neque magis offendor, quod repulso Patroclo turrim deus relinquit (vere *κατὰ τὸ σιωπώμενον*) Hectorem ad novam pugnam hortaturus. Jure ille ad Scaeas portas quiescens dimicetne an in urbem se recipiat deliberat: nam cessisse eum Patroclo, quem a diis ductum existimaret, vidimus; jam vero quum divina illum vi a moenibus repulsum cognoscat, ipse ab Asia aut, quod divinare facile potest, ab Apolline admoneatur, reflecto animo Patroclo audet resistere v. 726 sequ. At v. 94 Apollo proelio interesse cogitatur; qui igitur in turri potest consistere? Equidem vel contrarium ex hoc versu conjecerim. Achilles enim amicum, ne victoriae laetitia abreptus urbem aggrediatur, monet, ne qui deus ipsi adversetur; nam valde diligi illos ab Apolline. Itaque non apud naves, ubi proelium est, Apollinem esse, sed urbem tutari Achilles suspicatur, quem si apud naves in proelio versari cogitaret, ne ad eas quidem amicum debebat mittere; quid enim obstabat, quin etiam apud eas Patroclo deus occurreret? Eodem jure etiam ceteros omnes deos Trojae adjuutores in acie adesse ex v. 93 conjici licet, quoniam iis quoque ut obviam ire vereatur, amico ille praecipit. At non in proelio illi, sed in Olympo versantur, id quod luculenter cernitur ex eodem v. 93:

*μή τις ἀπ' Οὐλύμπιο θεῶν αἰεγενεταίων
ἐμβήη.*

quid igitur impedit, quominus Apollinem quoque in Olympo esse statuamus et fuis demum Trojanis interitumque urbi Patroclo minante in turri consistere? praesertim quum ceteri huc usque loci, quibus Apollo commemoratur, aut insiticii aut dubiae certe auctoritatis sint. Neque vero ut jam antea deum pugnae interfuisse concedam, v. 726 commoveor. Vocabulum enim, quod offendit, *ἀντις* facile aut, ut Faesius¹⁹⁾ vult, aut, ut mihi quidem magis placet, hoc modo explicatur: „primo quidem relicta turri ad Hectorem venerat deus, iterum, i. e. converso itinere in proelium se confert.“

Nec meliorem jure Lachmannum p. 71 Pedasum, equum mortalem, immortalibus duobus Xantho et Balio additum, in dubitationem vocasse puto. V. enim 381:

ἄμβροτοι, ὅς Πηλεῖ θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα,

qui unus eum ferre non videtur, per errorem ex v. 867 in hunc locum irrepsisse manifestum est ipseque

18) pag. 72 et 73.

19) cf. ejus editionem Iliadis.

Lachmannus veteribus testimoniis carere confitetur. Atque etiamsi quis versum hunc retinere velit, tamen immortalium tantum hoc loco, neglecto mortali, equorum mentionem factam esse maluerim, quam omnino idcirco funalem equum reprehendi, quo tanti herois currum ornatum esse paene necessarium videatur. Jam vero v. 462 — 476 praeter mirum illud *οὔτισεν* nullam habent offensionem. Quid enim aptius quam ipsum heroum certamen tamquam prolusionem quandam antecedere, ex qua ipsius certaminis eventum divinari liceat, quippe in qua Patroclus Thrasydemum, socium Sarpedonis, Sarpedon mortalem modo Patrocli equum occidat. *οὔτισεν* autem istud, cujus loco *ἔβαλεν* exspectaveris, recte ego Faesium explicuisse puto, cujus cf. ad hunc locum interpretationem.

Idem mihi, ut non possim cum Lachmanno consentire, accidit in v. 555—562; quos ornamentum causa parum huic loco convenienter insertos esse judicat ille p. 72, quoniam nulla omnino in hoc carmine muri castrensis mentio fiat, et secundum libr. XII v. 438 (adjicere poterat XII, 462) non Sarpedon primus, sed Hector murum expugnaverit. At priorem istam Lachmanni de muro opinionem sustineri non posse supra vidimus; et quod cum libro XII nostri carminis narratio non plane congruit, id ipsum argumenti loco est, ab alio auctore Patrocleam ac librum XII ortam esse, id quod quum summa mentis sagacitate demonstrare conetur, hoc loco videtur neglexisse vir egregius. Ceterum recte vidit Faesius, facillime hanc fabulae dissensionem inde potuisse fieri, quod et ipse de muri expugnatione optime Sarpedon meritis sit, cujus potissimum opera adjunctus in portas Hector irruerit. cf. libr. XII, 290—293 et 397—399. Atque adeo adhortatio ista Ajacium ceterorumque Achivorum si abesset, certo aliquid hoc loco requireremus. Supra enim Glaucum meminimus, quum interfecto Sarpedone impares Lycios Myrmidonibus esse cognosset, Hectorem et Trojanos male habitos ab Achivis et vexatos auxilio evocasse. Paulo infra ex v. 564 seq. etiam Achivos Ajace duce, quum remotis Trojanis nullos sibi adversarios haberent, ad corpus Sarpedonis retinendum accurrisse videmus. Quid igitur aptius et magis paene necessarium quam, ut Glaucus Hectorem advocaverit, ita Patroclum Ajaces accersere et quo acrius pugnent, verbis alloqui.

Neque denique possum non adversari Lachmanno immerito v. 850 dicenti²⁰⁾ Euphorbum Hectori praeferi. At est profecto causa satis probabilis. Gloriare, inquit Patroclus, quantum voles; nec tamen tu me superasti, sed fatum et Apollo, neque vero homo tu me interfecisti, sed Euphorbus. Quid mirum, quod homini perquam ignobili suae caedis gloriam concedere malit quam Hectori hosti infestissimo? Arcissime morientis Patrocli vox indignabunda cohaeret cum pulcherrima libri sequentis de Euphorbi nece narratione, quam ut abjiciat, haud sane libenter sibi quisquam poterit persuadere.

Majores multo et graviores difficultates in libro XVII nobis occurrunt. Cujus pleraeque partes tam obiter inter se conjunctae sunt, ut quae vera fuerit carminis primarii compositio, investigare haud sane facile sit. Imo vero primo quidem obtutu nihil fere cognoscere videmur nisi multa et varia certamina ad Patrocli quidem necem cuncta referenda, sed quae multum in se contrarii diversique habeant. Diligentius vero perquirenti et quae verae, quae falsae carminis partes fuerint, perscrutanti multae istae difficultates ita solvuntur, ut constans plane et accuratissimum poetae consilium fuisse luculenter intelligamus.

Atque omnia quidem illa de Patroclo certamina in ingentis magnitudinis molem aucta esse nemo infitias ibit, qui vel quo tempore gesta illa certamina narrentur, consideraverit. Patroclum enim sub vespere cecidisse cognoscimus ex lib. XVI v. 777—780, quo uno illius libri loco temporum descriptio facta est. Quod vero etiam Patroclus tribus incursionibus factis ter novem Trojanos caedit, inde certo jam paulum processisse vespertinum tempus consequitur, quamvis ipsam noctem nondum advenisse multis locis appareat. Nihilominus omnia libri XVII et quae huc spectant libri XVIII certamina eodem vespere evenisse narratur; nam occidisse sol libri demum XVIII v. 241 refertur. Atque nonnumquam poeta vel vesperascere oblitus videtur esse. Dicit enim primo quidem v. 268 sequ., ut honore afficeretur Patroclus et, ne canum praeda fieret, impediretur, tum v. 368, circum Patrocli corpus, ubi fortissimi utriusque exercitus viri pugnarent, caliginem a Jove effusam fuisse, quum in reliqua acie sol luceret neque nubes ulla appareret.

20) pag. 73.

ἤξει γὰρ κατέχοντο, μάχης ἐπὶ Φόσσον ἄριστοι
ἔστασαν ἀμφὶ Μενουτιάδῃ κατατεθνηῶτι,

et quae sequuntur. Cui rei bene respondet v. 594, ubi nubibus Juppiter Idam circumfundit cum tonitru et fulguribus; hoc tamen differt, quod supra tenebras illas in Patrocli honorem effudit, hic iisdem velut malo omine Achivos perterret. Neque minus v. 644 Ajax Telamonius prae caligine dicit, nimirum portentosa illa et divinitus missa, quae spissa viros equosque obtegit, neminem se posse tota acie conspiceri, quem ad Achillem mittat tantae calamitatis nuntium. Idem, ut nebulam discutiatur, precatur Jovem, ut in luce certe, si mors sibi destinata sit, perire liceat. Cujus precibus auditis denuo sol illucescit v. 650:

ἥλιος δ' ἀπέλαμψε, μάχῃ δ' ἐπὶ πᾶσα φάνθη.

Itaque, quod offertur miraculum, non positum est in sole praeter consuetudinem Jovis jussu lucente, sed plane in contrario, quum uno tantum loco miras illas tenebras exstiltisse paulo ante diserte expositum sit.²¹⁾

Tandem libri XVIII v. 214 Junone auctore Iris admonitu Achilles ad fossam, ut aspectu suo hostes deterreat, inermis advolat. Cujus caput nube splendente involutum procul per tenebras cernitur, ut signa, quae noctis tempore in insula deserta conspiciuntur. Hic revera sol occidere coepit, ut et similitudo docet v. 210:

ἄμα δ' ἥλιος καταδόντι

πυρσοὶ τε φλεγέθουσαν ἐπύριμοι — —

et paulo post excipiens illam ipse solis occasus v. 239—241.

Idem est, si perseveramus in antiqua opinione de carminum Homericorum compositione, ille dies, qui jam libri XI initio illuxit. Ac ne tum quidem plane finitus est immensus ejus diei labor: Trojani enim multa jam nocte consultant et Hectoris auctoritate compulsi per noctem sub divo manere constituunt; Achivi, Myrmidones potissimum, mortem Patrocli lugent. Adjicitur colloquium Jovis et Junonis v. 356—368 et ipsum ad Patrocli caedem pertinens. Adde quod jam lib. XI, v. 84—90 meridies ejus diei exstilit. Omnia igitur, quae inde a libri XI, v. 90 usque ad libri XVIII v. 368 narrantur, horis pomeridianis geruntur. At Patrocli certamina totum diem complecti et non multo post solis ortum ordiri jam supra cognovimus, et vel inde apparet, quod in libro XVI denuo meridies existit v. 777. Per totum igitur diem pugnatur: sub vesperum cadit Patroclus, sed quum sol nondum occiderit, quid mirum, quod de ejus corpore etiamtum in luce dimicatur!

His de universi libri XVII tempore praemissis, quae partes carmini primario parum convenient, diligentius indagabimus. Atque initium quidem hujus libri ab antecedentis fine differre jam a Lachmanno animadversum est. Ibi enim Hector Patroclum occiderat, quem illico armis occisi herois potiturum esse exspectaveris; quod ut fiat, tantum abest, ut ad currum Achilleum expugnandum illo converso Euphorbus, qui necopinato paulo ante vulnere Patroclo prospere inflicto anxie trepideque v. 813 in suorum aciem se abdiderat, idem glorians jam et fiduciae plenus in medium prodeat corpus ut suam praedam arrepturus. Nec minus paene videtur offendere, quod primus Menelaus pro corpore propugnat, unde immerito totus hic liber *Μενελάου ἀριστεία* inscribitur. Neque enim quemquam potest effugere, non Menelaum, virum alias haud sane maxime strenuum, sed Ajacem Telamonium, ut antea navium, ita tunc interfecti Patrocli defensorem existere acerrimum, ad quem vulneratis Agamemnone, Diomede, Ulixes, spes una paene Achivorum confugerit.²²⁾ Itaque continuo post occisum Euphorbum fit, quod fieri necesse erat, ut qui jam libri XVI initio Patroclo contra Lycios converso in Hectorem semper hastam direxerat, idem interfecto illo fortissimo hosti fortissimus occurrat. — Nec tamen tanti istud est, ut cum Lachmanno aliquid hoc loco reprehendere vel desiderare voluerim. Nam Hectore quidem ad rapiendos Achillis equos profecto, Ajace, ut ex omni libro XVI apparet, a Patroclo, tamquam tanti viri propinquitate ne quid de sua laude detraheretur, metueret, paulo remotiore, bene res ita instituta est, ut

21) Errare puto Lachmannum, qui pag. 78 ad Achivorum salutem a Jove istas tenebras effusas esse dicit; nam v. 270—273, ubi latius ea et accuratius exponuntur, ad Patrocli quidem honorem, quo plures utrimque caderent, neque vero ad Achivorum salutem id factum esse narratur. Neque profecto saluti eam nebulam esse Achivis, sed summae pernicii, postea ex v. 643—650 manifestum est. Nam quum unum hoc beneficium a Jove Ajax petat, ut tenebras illas disjiciat, quumque misericordia adductus deus ejus preces audiat, quo modo judicare possumus, ad eosdem servandos et tuendos et obducere Jovem et dissipare caliginem!

22) cf. Nitzsch Sagenpoesie pag. 254, cui hunc XVII librum pugnare de Patrocli corpore appellari postulanti libenter concedo.

alterum Patrocli occisorem Menelaus necaret corpusque idem defenderet, dum majori posset concedere. Lachmannus vero argutias videtur captare: neque enim, id quod exponit ille p. 74, v. 13 et 16 Euphorbus exuere arma, sed capere vult; nec non v. 125 et 187 eadem ratione explicari possunt. Eliamsi vero hoc ita esse negaveris, nihilo tamen magis res inter se repugnant; nam Apollinis ictu non deciderant omnino a Patrocli corpore, sed soluta tantum arma erant: galea decidit a capite v. 793, hasta perfringitur v. 801, clypeus humi cadit v. 803, thorax solvitur necdum detrahitur. Itaque in v. 205 nihil offendit praeter unam vocem *χαράς*, quae facile poterat ad *ἄμωv* addi, praesertim quum liceat eam hoc modo intelligi: arma, quae in capite et humeris gerebat. Itaque minime, id quod p. 74 Lachmannus proponit, necesse est, aut imitationem libr. XVII non prorsus convenire cum libro XVI, aut libri XVI v. 793—804 et 814—815 et 846 ad ornandum Patrocli interitum insertos esse. Jam quod libri XVI v. 815 et XVII, 122 idem heros *γυμρός* appellatur, nihil inde consequitur nisi inermem eum esse: et spoliatum galea, clypeo, hasta. Itaque quod non conveniat cum libro XVI, equidem in libri XVII initio non reperio.

Occiso Euphorbo tantopere Trojani terrentur, ut pavide recedant et interfecti corpus Menelao relinquunt. Quare v. 71 denuo procedit Apollo, cujus dei partes etiam graviore hoc sunt quam priore libro. Humana ille specie indutus accurrit ad Hectorem, quem a curru frustra insequendo revocat. Audita Euphorbi nece revolat ille v. 87 seq. jamque inter Trojanorum propugnatores apparet Menelao occurrens. Qui clamore ejus terribili audito imparem se unum esse videns tot tantisque viris, jam appropinquante hostium acie v. 108—113 aegre et invitus recedit. At qui poterat solus esse? nonne Myrmidones certe prope stabant, eo usque victores? Sed fieri potest, ut aut longo spatio ante ceteros omnes Patroclus antecurrerit, aut ne cum eorum quidem auxilio Hectori Trojanisque Menelaus obviam ire audeat, quamquam neque animus eum deficit et v. 94 et 95 dilucide unus ille Trojanis et Hectori opponitur. — Ut vero haec res se habet, confert se Menelaus ad Ajacem, cum illo (v. 104) vel deo se resistere posse confidens. Reperit eum in sinistra aciei parte socios, quibus ingentem Apollo pavorem iniecerat, hortantem ad pugnamque incitantem. Nimirum tam procul Ajacem esse, ut nondum quicquam de Patrocli nece audierit, quum ex v. 123 et brevi Menelai narratione eluceat, tum vel inde conjici potest, quod socii ejus non mortuo Patroclo, sed ab Apolline perterriti esse dicuntur. Offendit autem in narratione ea, quod Hectorem armis Patrocli jam potitum esse Menelaus dicit, quae occupaturus infecta re paulo ante Euphorbus ceciderat. Si quis conjecerit, interjecto temporis spatio Hectorem illa occupasse, eodem certe tempore corpus potuit Patrocli abripere; quod tuendum esse et servandum dicit Menelaus. Sed in medio hanc rem relinquo postea explicandam, quoniam arcte cohaeret cum aliis quibusdam difficultatibus, quae ante tollendae sunt.

Dum Ajax et Menelaus cum ceteris Achivis appropinquant, Hector praecidere Patrocli caput corpusque Trojam trahere conatur; sed conspecto Ajace desistit ab incepto et comitibus in urbem arma deferre jussit ipse in aciem recedit, ita ut nullo negotio Ajax corpore potiat et scutum suum pro illo quasi propugnaculum constituat. Displicet hoc quoque loco, quod moratur Hector, dum illi adveniunt. Cur tandem arma Apollinis ictu partim detracta partim soluta non celerrime arripuit et cum corpore abiit? Longum profecto iter Menelao faciendum erat, praesertim qui initio nesciret, ubi Ajax versaretur. Sed de hujus quoque loci medicina v. infra.

Achivorum interventu tantus Hectorem terror invaserat, ut nova Glauci adhortatione opus esset momentis, ut Patrocli corpus occuparet ad Sarpedonem eo pretio redimendum. Quo loco possis pro documento uti, non in Lyciam supra Sarpedonem ab Apolline deportatum esse, sed in Achivorum manus incidisse; scio autem, saepe deorum facta ignorari a mortalibus. — Commotus Glauci vituperatione Hector ad ministros, quibus arma Achillis Trojam auferenda tradiderat, accurrit, et ipse illius armis indutus sua pro illis in urbem mittit. Quo facto ad Trojanos reversus ad corpus occupandum instruit proelium. Etiam hoc loco vix videtur probari posse, tanto praetermisso tempore, dum increpatur a Glaucio, proficiscitur ad ministros, qui non procul quidem, aliquantum tamen progressi esse v. 190 dicuntur, induit arma, aciem instituit Trojanorum, quos singulis verbis singulos cohortatur, Ajacem nondum et Menelaum in tutum receptaculum corpus detulisse aut ad Achillis tentorium misisse. Neque minus hoc ipsum mirum est, quod Hector, quae vixdum in urbem ferri arma jusserat, paulo post suis illorum loco remissis ipse induit. Nulla omnino mutandi consilii in tantis tem-

porum rerumque angustiis causa videtur fuisse neque opportunitas; imo vero id si fecerit Hector, merito in vanitatis crimen inciderit, quod illi objecit scholion B:

ἀνίδες τῷ κατὰ τὸν Μενέλαον ὁ μὲν ἀναχωρεῖ συμμαχίαν προσκαλεσόμενος ὁ δὲ οὐχ ἵνα ὀφελήσῃ τοὺς φίλους, ἀλλ' ἵνα κοσμήσῃται τοῖς ὅπλοις ὅσπερ μειράκιον ἐπὶ στολῇ αὐτοῦν.

Quae cum iis, quae supra offendebant, quum conjungerem, confiteor non mediocriter me esse commotum neque multum afuisse, quin v. 130 — 131 totumque locum a v. 140 — 214 ejciendos esse putarem. Videbatur haec narratio ab eodem interpolatore exorta esse, qui in libro XVI Glauci sanationem intexuisset, ita quidem, ut imitaretur Hectoris per eundem Glaucum lib. XVI v. 538 seq. et per Apollinem lib. XVII adhortationem. Nimirum sublatis illis non ultima solum, sed superioribus quoque offensionibus optime omnia videbantur quadrare: Hector ab Apolline incitatus, ut discederet ab equis Achillis frustra persequendis, Menelaum a Sarpedonis corpore repellit, sed vanitate quadam commotus armis induendis tempus ad deportandum corpus datum frustra terit, dum Ajax ejusque socii adveniunt. Itaque appropinquantibus illis retro cedere cogitur, non fugam capturus, sed ceteros socios advocaturus, quibus adjunctis v. 233 denuo Ajacem et Menelaum aggreditur, ita ut Ajax, imparem se esse tanto hostium numero intelligens, quum ipse ad tuendum corpus remaneat, Menelaum mittat, qui Danaorum duces, quam celerrime ut auxilium ferant, compellat; quo facto jam par aequumque utrimque proelium committitur a v. 262.

At altera et meliore cura hunc locum retractantibus recedendum esse a tali opinione visum est et condonandum poetae, epico praesertim, si quando neglecta paulisper justa temporis ratione, quae parum congruerent, admitteret, dummodo res ipsae essent probabiles neve ab omni carminis argumento abhorrerent. Multa insunt etiam in hac carminis parte perquam pulera et quae mirum in modum metu et miseratione compleant animos; in quibus v. 198 — 208 pono, ubi miseret deum supremum tanti herois tunc quidem laete et superbe incedentis, neque quam prope ipsi mors acerbissima immineat, divinantis. Itaque intactum locum totum relinquimus pro documento tantum esse existimantes, multo etiam plura et majora, si quis voluerit, in dubitationem posse adduci.

Jam vero omnibus utrimque paratis ipsius inde a v. 262 certaminis initium divina quadam arte describitur. Ibi primo v. 268—270 tenebrarum mentio fit, de quibus v. s., neque vero, ut aliis locis, panduntur illae ad Achivorum perniciem, sed ad corpus Patrocli tuendum, quod ne praeda fiat canum Trojanarum, providet Juppiter. Ubi v. 273 mihi suspectus est, primo quidem propter vocem *Τρωῆσιν*, quae ad *δῆϊων* et *κνῶ* addita plane supervacanea est; tum vero ne sententia quidem loci ita bene se habet: caligine, dicit poeta, Juppiter pugnantes omnes obtexit, ne miserum corpus praeda fieret canum; quare etiam socios ad tutandum eum compulit. At non Juppiter, sed Menelaus nullo Jovis impulsu id fecerat; imo vero Apollo, qui omnem patris voluntatem perficit mandataque persequitur, Hectorem ad rapiendum corpus incitaverat. Neque vero, etiamsi suo consilio Juppiter Achivos incitasset, tam breviter poterant talia consilia commemorari, quae alias etiam factis significari solent. Denique omnis ista conclusio parum logice videtur dicta esse, cujus loco expectaveris: „itaque tenebras illas effudit“ aut aliquid simile.

Commisso proelio primo quidem a v. 274 Trojani Achivos superant, sed non multo post collectis illi animis subsistunt Ajace auctore, qui invicem Trojanos jam ad urbem Patroclum tracturos repellit. Excipiunt, ut plerumque fit, certamina singularia a v. 288—315, quibus Ajax potissimum et Hector, utriusque aciei duces, excellunt, Menelaus autem multo iis inferior existit et sub finem demum totius carminis novam operam suam interponit. Trojanis v. 315 plane propulsatis, jam adverso Jovis consilio, qui hic quoque adversarius iis putatur, victores evasissent Achivi, nisi iterum intercederet Apollo: is Aenean hortatur, qui cognito sub humana specie deo suos, ut fortiter resistent, impellit. Ita restituto proelio nova oriuntur certamina singularia et denuo describitur Achivorum acies v. 354—370, simillime superiori v. 267, sed etiam pulcrius et tanto discrimini convenienter.

Eo usque bene pugna sibi constanter procedit: multi ab utraque parte cadunt, pauciores tamen Achivi, qui prudenti Ajacis imperio usi inter se mutuo opitulantur. Itaque finem mox fore certaminis expectamus, neque vero, quum Achivi etsi ancipiti Marte inferiores tamen sint pugna, effici ille nisi deorum interventu potest. Sed frustra; v. 593 demum aegidem Juppiter concutit, nubibus Idam circumvolvitur, tonitrua

et fulgura spargit, Achivis terrorem fugamque immittit. Contra inde a v. 370 usque ad v. 593 multa in variis campi partibus certamina describuntur, in quibus nullus fere ordo observatur quaeque magnam partem ejusdem rei repetitionem offerre videntur.

Primo quidem v. 370 in reliquam campi partem claro coelo collustratam oculi nostri vertuntur. Excellunt ibi ante ceteros Nestoris filii duo, Antilochus et Thrasymedes, qui nondum quicquam de Patrocli caede certi compererunt, sed eum etiamtum in acie prima versari putant. Quos versus 370 — 383 satis manifestum est arctissime cohaerere cum v. 681 seq., ubi Menelaus Antilochum narratur quaerere, quem ad Achillem nuntium mittat. Habet autem locus ille multum offensionis, quoniam accuratius de Nestoris filiis nihil, sed praeter poetae consuetudinem hoc modo traditur, quod melius erat usque ad v. 681 reservari, ubi non solum in totum carminis contextum illi recipiuntur, sed etiam in sinistra acie eos versari (quamquam unius Antilochi ibi fit mentio) cognoscimus. Nec vero v. 381 omnino cum antecedentibus congruit. Mors enim et fuga sociorum commemoratur. At quorum sociorum? Eorum, qui sub claro coelo pugnant una cum Nestoris filiis? At iidem v. 373 seq. dicuntur procul ab hostibus stantes quiescere et vitare tela utrimque emissa; qui igitur possunt fugere et perire? An eorum, qui de corpore pugnant cum Ajace et Menelao? At iidem v. 363 dicuntur non incolumes quidem stare, pauciores tamen quam Trojani cadere; necdum iidem fugiunt, sed (cf. v. 319 seq.) tanto superiores sunt, ut Apollinis opus fuerit auxilio. Plane ab eo differt v. 681, nam ibi revera fuga exorta est (cf. v. 597). Etiam hoc mirum est, quod duo tantum viri Patrocli caedem ignorare dicuntur; neque enim omnis sinistra acies nec Nestor vel ceteri heroes, qui vulneribus fessi in castris remanserant, neque ipse Achilles quicquam de illius interitu audiverant. Denique etiam hoc offendit, quod laevae aciei descriptio insertis v. 375 — 377 ita dirimitur, ut redeat poeta ad defensores Patrocli, de quibus et ipsis nihil novi comperimus, nisi quod laborare tenebris et proelio terique gladiis denuo narrantur. Facile igitur conjeceris, versus illos insiticios esse, et γ. 377 *ὄνο δ' οὐ πο γῶτε πεπύσθη* continuo applicandum ad v. 375 *πολλὸν ἀφροσάοτες*. At ne ita quidem bene narratio progreditur, quoniam, ut supra vidimus, omnis hic locus parum accommodatus est. Quem ad sanandum mihi quidem nihil videtur reliquum esse, nisi ut aut hoc tantum poetam dicere voluisse existimemus, reliquum campum clara luce illustratum fuisse, quo magis, quantum in altera parte discrimen esset, ostenderetur, aut totum locum supervacaneum esse atque inutilem. Delendi igitur sunt aut omnes v. 370 — 383 aut certe 377 — 383 reservatis 370 — 376, ita ut v. 376 *τείροντο δὲ νηλεὶ χαλκῷ* hujus narrationis finem faciat. Quae opinio vel eo videtur comprobari, quod v. 377 *ὄσοι ἄριστοι ἔσαν* aperte respicitur ad v. 368 *μάχης ἐπὶ ὄσσοι ἄριστοι*, ita ut in sequentibus versibus repetitio tantum prioris partis paulo accuratior insit.

Redit poeta v. 384 — 399 ad Patrocli corpus, sed ne hic quidem producit narratio, sed pulcherrima tantum a v. 389 — 399 similitudine pugnantium animi comparantur cum viris, qui bovis cutem in omnes partes distrahere et extendere conantur. Occurrit hic v. 384 illud *τοῖς δὲ πανημερίοις*, quod jam Lachmannus reprehendit. Quo enim jure dicuntur per totum diem pugnasse, quum sub vesperum occidisse Patroclum constet? Nec minus mirum est atque molestum, quod tertio intra paulo plus centum versus eadem pugnantium contentio describitur, primo 267, tum 354, denique 384. Talem ejusdem pugnae ter repetitam descriptionem languidi habere aliquid, quis non videt? Mihi quidem non est dubium, quin certissima haec sit interpolatio, imitatio primae pugnae, sine firmo ordine certaminibus quibusdam aliis et colloquiis variata et intermixta. Jam ipsa Aeneae cohortatio per Apollinem (v. 322), Hectoris per Aenean simili quadam ratione fiunt, ac v. 139 idem heros a Glauco, v. 71 ab Apolline admonetur. Sed ut contenti simus eo, quod maxime necessarium est, v. tantum 384 — 388 delemus reservata pulchra illa similitudine v. 389 — 399. Quo facto, quum et ipsi v. 377 — 383 supra ejecti sint, v. 389 applicandus est ad γ. 376:

376.

— *τείροντο δὲ νηλεὶ χαλκῷ*.

389. *ὡς δ' ὄτ' ἀνὴρ ταύροιο βοὸς μέγαλοιο βοείην* — —

Et si quis alteram, quam ego proposueram, opinionem sequi malit, non minus apte ejectis etiam v. 370 — 376 cum v. 369

ἔσασαν ἀμφὶ Μενονιάδῃ κατατεθηῶτι.

v. 389 conjunget. Utrum aptius et melius sit, difficile est discernere; nam haec altera quoque conjectura eo sustentatur, quod v. 368 et 369 cum v. 376 adeo congruunt, ut hunc ex illis sumtum esse paene inviti judicare cogamur.

Nequē vero a v. 400 procedit proelium, sed iterum in graves errores et dubitationes magnas abducimur. Primo enim transit poeta ad Achillem, quem, ut par erat, omnino pugnae ignarum facit. At dubito, num quis hoc loco Achillis commemorationem expectaverit. Dixerit forsitan aliquis, venuste et eleganter hic continuum certaminum atrocissimorum tenorem interrumpi; at hoc si vellet poeta, diutius profecto in eo commorari debebat neque, ut hic factum est, leviter tantum attingere herois inertiam, quae laborantibus ceteris nescio quid habet injucundi atque molesti. Maximam vero dubitationem movent v. 406—409, quibus nec sine suo auxilio neque cum sua ope Patroclum Trojam deleturum esse expectasse Achilles narratur, quippe cui saepe occultum Jovis consilium clam reliquis (*νόσφι ἀκούων*) mater patefecerit. Quid sibi ista volunt? Si sciret Achilles Patroclum ne secum quidem conjunctum Trojam capturum esse, nonne divinare debebat certissime, Patroclo ante se moriendum esse? Totum hunc locum cf. cum lib. XVIII v. 9 seq. Ibi enim revera vaticinium quoddam Thetidis offertur, sed aliud et aptius. Nam quum belli tumultu propius accedente mortem jam Patrocli praesagiat animo, meminit Achilles quondam sibi nec vero saepe, ut nostro loco, praedixisse matrem, vivo ipso Myrmidonum optimum mortem esse occubiturum. Quod oraculum quo accommodatius illo loco est, eo minus hic nostrum ferri potest.

Ab Achillis tentorio ad Patrocli corpus revertimur. Ubi v. 412 — 425 quarto jam eadem ejusdem aciei descriptio offertur. Quid difficilius, quid molestius, quid minus ferendum in tam praeclaro carmine? Quare nihil dubito etiam hanc descriptionem ex nostra Patroclea rescicare. Inest in illis versibus etiam singulare aliquid, quod quum alii loco repugnet, opinionem nostram confirmet. V. enim 397 recte et bene Achivi corpus se ad naves abluros esse speraverant; v. 416 dedecori iidem sibi fore existimant, si revertantur ad easdem illas naves. Addunt quidem, melius sibi esse futurum a terra abripi, si in urbem Trojanos trahere corpus patiantur; neque vero inde consequitur, malle eos in campo consistere, quam servato corpore ad naves recedere. Itaque v. 370—425 paucis modo, quos supra indicavi, exceptis plerique mihi suspecti sunt et ita quidem suspecti, ut qua ratione cum carmine primario conjungi possint, non videam.

Idem fere nec tamen plane idem Lachmannus judicat, v. 366—423 omnes delendos esse censens²³⁾, in quibus multa videtur sibi reperisse ex aliis carminibus sumta et parum hic convenientia. Neque vero omnia mihi ejus argumenta satis faciunt. Nam, ut exemplum afferam, cur fieri non potuerit, ut v. 404 sub Trojae moenibus Patroclus cecidisse diceretur, non video; sed eadem est illa quaestio, cur ad lib. XVI v. 698 seq. factum esse Lachmannus neget, ut moenia Patroclus aggredere. Imo vero extra fossam occisum esse Patroclum luculentum est, atque adeo ad tantam temeritatem propelli eum necesse videtur, quo et evidentius „*ἀντι*“ ista ejus appareat et difficilius postea sit certiorum Achillem fieri et vehementior de corpore ejus pugna conflatur.

Nova inde excipit digressio paulo uberius patens quam priores, inde a v. 426—542, quam ego, quamvis pulchra sit maximam partem et egregia, ab ipso tamen Patrocleae poeta ortam esse persuadere mihi non possum; tot insunt, si accuratius eam exeamus, tantaeque difficultates. Res ipsa ita est: Automedon, Patrocli auriga, equos e loco agere non potest, quamvis multum eos flagello, multum precibus, multum conviciis maledictisque stimulet; lacrymas fundunt de mortuo domino, capita humi demittunt, juba ad terram diffusas pulvere polluant. Quos miseratus Juppiter recenti robore confirmare decernit, ut Automedontem quidem currumque Achillem ad naves e proelio deducant, quamquam victoriam Trojanis gloriamque vult concedere, dum ad naves advenerint, sol occiderit, nox esse coeperit.²⁴⁾ Refectis illi viribus pulverem ex jubeis excutiant celeriterque currum non, ut Jovis consilium fuerat, ad Achillem, sed per medias Trojanorum et Achivorum acies abripiunt. Quibus huc illuc vectus modo invadit Automedon in hostes modo ex proelio aufugit, nec vero quemquam occidit, quoniam non potest unus pugnare et currum dirigere equosque inhibere.

In quam igitur campi parte ea accidunt? apud corpus, ubi utriusque exercitus fortissimi laborant, an in sinistra, ubi ceteri magno inter se spatio relicto lente cauteque dimicant? Apud corpus si versaretur, non poterat ille tam longe lateque circumvehi, ubi nec locus sufficebat et ceteri heroes pedibus rem gerunt;

23) Lachmann Betrachtungen pag. 75 et 76.

24) Cf. v. 455. Etiam hoc loco nondum sol occidit, id quod bene congruit cum reliquis carminis partibus, de quibus v. s.

relinquendus certe currus erat. Praeterea a corpore Automedontem cum equis Achilleis aufugisse in lib. XVI fine et XVII initio, ubi Hector eos insectatur, apertissimum est. Versatur igitur sine dubio in sinistra parte, id quod vel ex v. 483 colligi licet, ubi conspectum illum Hector cum Aenea aggredi curruque spoliare constituit.

Ita enim dum inter utramque vehitur aciem, incidit ille in Alcimedontem, unum ex quinque Myrmidonum ducibus,²⁵⁾ et ipsum temere vagantem. Qui acceptis habenis currum regit Automedonte, ut pugnam ineat, desiliente. At quid hoc est? Alcimedon, quem et ipsum in sinistra parte esse certo concludimus, v. 471 crimini vertit Automedonti, quod occiso Patroclo prima in acie πρώτῳ ἐν δμίλῳ pugnet. Quodsi, ut aequum est, uterque compertam mortem Patrocli habet, qui fieri potest, ut ceteri Achivi in eadem parte pugnant tantae calamitatis ignari sint? Atque ubi tandem Myrmidones sunt? utrum et illi de Patrocli corpore pugnant solique inde recesserunt duces fortissimi? an ex terrore, qui occiso heroe mentes eorum occupaverat, nondum se recreasse cogitandi sunt? Graves sane quaestiones, quae certo solvi vix possunt, quippe quum omnino Patroclo mortuo nulla fiat Myrmidonum mentio.

At omissis illis ad cetera pergimus: Hector conspectis, ut supra demonstratum est, equis cum Aenea accurrit, tantam se praedam arripere posse confidens, una cum illis proficiscentibus Chromio et Areto. Quibus cognitis Automedon Jovem, ut se adjuvet, precatur, Alcimedonte, ne ab equis separarentur, prope subsistere jusso Ajaces et Menelaum, ut auxilium sibi ferant, advocat. Nempe tam prope illi adstant, ut exaudire ejus vocem possint. Tum hasta emissa occidit Aretum. Hector ad ulciscendum comitem in Automedontem jaculatus declinante illo aberrat a proposito, ita ut super eum hasta volet humique figatur. Quo facto jam ad gladios ventum est, quum Ajaces advolant, quos veriti Hector, Aeneas, Chromius relicto Areto recedunt. Spoliato illo paulum quidem liberasse se animum a moerore, quamquam deteriore occiderit, gloriatus currum conscendit Automedon, manibus pedibusque sanguine cruentatis leoni similis, qui bovem devoravit. Ubi in v. 538, quod videam, „ὀλίγον περ“ non recte intellectum est ab interpretibus. Quod Nitzschius p. 176 „paulisper“ interpretatur, μεθέρηκα paraphrasta per intransitivam elocutionem dictum putat. Equidem totum versum sic intelligo: „paululum quidem liberavi animum (removi a) dolore de Patroclo concepto, i. e. paulo levior dolor meus factus est, quoniam, quamvis deteriore viro interfecto (χερσίονά περ καταπέφνον), mortem amici ultus sum.“

Finita v. 542 digressionem nostram quinto jam ad Patrocli corpus revertimur, apud quod eosdem, qui antea pugnaverant, reperimus, quamquam redisse Hectorem cum comitibus nusquam luculenter dictum est; nam v. 533 universa modo illorum fuga significatur:

τοὺς ὑποταρβήσαντες ἐχώρησαν πάλιν αὖτις,

de Ajacium autem reditu plane silet poeta.

Omnis vero illa digressio vehementer a ceteris Patrocleae partibus discrepat. Ac de nonnullis quidem discrepantiis jam supra exposui; sed accedunt aliae et graviore. Narrari quidem, quae currui Achilleo acciderint, nihil miri est; sed id jam factum est in fine lib. XVI et initio lib. XVII. Quo si respexeris, illico exspectaveris interfecto Patroclo ad Achillem se collaturum Automedontem et, quae evenerint, narraturum. Quis enim eo aptior, qui rem tam atrocem perferat? Sed abhorruisse id a poetae consilio posthac videmus. Ita enim erat propositum, ut aliquis Automedonte etiam carior Achilli ingratum illud legationis onus susciperet, ut amicus amicum de tristi amici fortuna certiore faceret. Neque offendit, quod Automedon primum se irae Achillis offerre dubitans remanet in proelio, quum praesertim sua fuga Myrmidonum pavorem auctum iri suspicetur; ulcisci denique ipse studet Patroclum, ut et se ipse consoletur et quo majore fiducia in Achillis conspectum prodire possit. Haec et similia ad tuendam nostram digressionem facile afferri possunt. At nonne maxime offendit, quod bis Hector simili plane ratione eosdem equos persequi narratur et bis spe proposita decipi? Mihi quidem videtur hic locus ex superiore narratione in fine lib. XVI et initio XVII tradita repetitus esse a poeta nobili quodam et ingenioso, addita pulcra illa de flentibus equis immortalibus descriptione, ut recreatio quaedam et reflectio animi fieret ab atrocissimo certamine.

25) Cf. XVI, 197.

Ceterum ne locus quidem ipse, cui haec narratio insereretur, bene apteque delectus est. Trojantos enim et Achivos acerrime de corpore pugnantem vidimus: tamen Hector, quid desertis suis eventurum sit, nihil curans, acsi nullum rerum discrimen sit, nulla necessitate coactus cum Aenea et aliis duobus post se fortissimis viris abit fortunam periclitaturus, quamquam jam supra v. 75 ab Apolline edoctus est, „ἀκίχητα“ se persequi, quoniam currus ille a nemine mortali dirigi possit. Quanta igitur in eo animi levitas fuisse existimanda est, quanta stultitia, qui nihilo minus laborantes suos desereret, praesertim quum non jam temere vagari equos, sed ab Alcimedonte regi cognosceret. Parum profecto convenit hoc prudenti Hectoris et praecauto animo. Etiam si vero, ut supra Achillis armis se ornaverit, ita vana gloriae cupiditate et spē immortalium equorum potiundorum iterum abreptum esse Hectorem concedamus, qui tandem Aenean eum secutum fuisse probari poterit? nonne Glaucus, qui alias etiam immerito illum vituperat, summo jure temeritatis vanitatisque crimina in eum conjecerit!

Conferas, quo melius id eluceat, v. 656 seq., ubi non ad inanis gloriae umbram consecandam, sed ad Antilochum quaerendum, socios suos Menelaus paulisper relinquit. Quam caute, quam cunctanter ab illis recedit! Ut leo ab aula telis facibusque ardentibus coactus, postquam diu virorum et canum impetum frustra sustinuit, sic ille aegre tandem repellitur indignabundo et irritato animo: timebat enim remoto se ne laborantes Achivi et in fugam conversi praedam hostibus corpus relinquerent. Quare priusquam abiret, multa Ajacibus et Merioni mandat: memores essent miseri Patrocli, qui, quamdiu viveret, omnibus tam benevolum se praestitisset et pro ipsorum salute mortuus esset. Idem perfectis mandatis, quamvis miseret eum laborantium post Antilochi discessum Pyliorum, nulla tamen mora interposita v. 702 regreditur nihil antiquius habens, quam ut ad eam pugnam se conferret, in qua summa discriminis posita esset.

Jam vero ut miro quodam modo suos Hector deseruerat, ita v. 543 nullo fere, quo reditus ejus significaretur, verbo addito, ad illos revertitur. Qui interea a pugna requievisse putandi sunt; nam v. demum 543 recens exoritur proelium jam incitante ipsa Minerva:

ἄψ δ' ἐπὶ Πατρόκλοῦ τέτατο κρατερῇ ὕμνῳ
ἀργαλέῃ πολύδακρυς, ἔγειρε δὲ νεῖκος Ἄθηνῃ.

Itaque quum neque initium neque finis neque universa ipsa narratio cum ceteris carminis partibus neque antecedentibus neque sequentibus recte cohaereant, equidem totam istam digressionem a primario Patrocleae contextu secernere non dubito.

Sed reciso toto illo loco novis deinceps difficultatibus implicamur. Minerva enim v. 544 seq. de coelo venit, ut proelio intersit, neque vero, ut alias saepe, clam Jove a Junone, sed ab ipso patre missa, cujus mens jam conversa esse dicitur. Itaque adventus ejus non in occulto fit, sed v. 547—552 magnifico naturae portento indicatur, ut omnes propinquum esse divinum auxilium agnoscant. Confirmantur quum omnium Achivorum animi, tum Menelaus a dea, quae Phoenicis speciem induerat, ad pugnam incitatus Poden interficit, carissimum Hectori e plebe socium. Quo casu adeo terrentur hostes, ut ipsum Hectorem nova Apollinis eaque ultima adhortatione confirmari oporteat.

At omnis ea narratio hic importuna et molesta est. Quid enim sibi vult Minerva? quae nihil perficit praeter Podis necem, cujus mors, ut posthac liquet, nullius momenti est, quum Hector comperta ejus caede ira et dolore incensus confestim ad proelium redeat. Nec vero postea quicquam Minerva efficit, sed plane recedere e proelio videtur. Jam vero quo ipse consilio Juppiter Minervam misit? Quum Minerva in medium procedat, fieri non potest, quin Achivis bonam ferat fortunam; ergo quum Juppiter eam dimittat, certo Achivos vult per eam servari aut superiores discedere. At hoc loco quum conversum Jovis consilium dicatur, num quis, qui non praeceptis teneatur opinionibus, aliud quicquam intelliget, nisi constituisse Jovem, ut Achivi, qui eo usque Trojanorum impetum fortiter sustinerent, in fugam conjicerentur? Tamen id si vellet Juppiter, cui cae partes minus convenirent quam Minervae, Achivorum adjutrici? Etiam si, id quod nonnullos velle video, consilium Jovis esset, ut servato corpore fugerent Achivi, eamque ob causam missa esset Minerva, nonne magis deceret tantam deam, Patroclum ex proelio eripere nube tectum suisque tradere? quod alias saepius fit in Iliade, ut quos ament dii et tueri velint, eos ex hostium conspectu removeant.²⁶⁾ Quorum hic nihil fit, quin

26) Cf. Parim a Venere III, 380, Aenean a Neptuno XX, 225 sublatum.

etiam ne animorum quidem ista confirmatio ullius momenti est, quippe qui paulo post ab Hectore ab ipsoque Jove novo terrore afficiantur. Nec minus deae cum Menelao colloquium perversum et ineptum videtur. „Tibi, inquit illa, perpetuo dedecori et ignominiae erit, si canes fortis Achillis socium sub Trojae moenibus dilacerent.“ Cui Menelaus respondet: „Si Minerva me adjuvaret telaque a me arceret, libenter ego subirem periculum; sed in Hectore saevus inest incendii impetus, nec finem facit necandi, cui Juppiter gloriam suppeditet.“ Quorsus illa? Ubi tam immanem terribilemque se praestitit Hector, qui summa vi Achivos a corpore propulsare non potuit? qui, si digressionem antecedentem genuinam esse contenderis, etiam ab Achilleo curru sine pugna ab Ajacibus foeda fuga repulsus est? Quod Patroclum occidit, nihili est; nam idecirco non timeri illum ab Achivis, imo vero vix interfectorem Patrocli haberi, supra vidimus. Contra ex Minervae criminatione timidoque Menelai responso facile in eo esse conjeceris, ut corpore potiantur hostes; sed id neque cum prioribus neque cum sequentibus concinit. Nam et ipsum Hectorem veluti timidum et ignavum alloquitur Apollo, fugisse eum vel Menelaum, inertem pugnatorem dicens. Ubi tandem Menelaum fugisse ille narratur? Etiam si vero *κατὰ τὸ σωπώμενον* id intelligendum esse putaveris Podes interfecto, qui tandem cecidisse Podem ignorat? quod factum esse per Apollinem demum comperit. Nullam omnino Hectoris fugam agnoscimus, praeterquam quod a curru Achilleo non per Menelaum, sed per Ajaces propulsus erat. Ita ne id quidem ferri potest. Quare non dubito, quin et Minervae et Apollinis adventus v. 543—592 tollendus sit; nam ne Apollo quidem ad finem rem perducit, sed ipse Juppiter v. 593 magnifica, ut ingenti certamini aptissimum est, ratione concussa terra coeloque ad fugam Achivos convertit. Ceterum quam perverse v. 545 et 546 Minerva se proelio immisceat, jam Lachmannus vidit²⁷⁾; sed non sufficit tantum deleri, quantum ille voluit.

Ita omnia fere a v. 377 — 592 subditiva esse judicamus. Inde vero quasi terra ex tot tantisque fluctibus reperta optime pleraque procedunt et pauca tantum usque ad finem hujus libri relinquuntur, quae in dubitationem vocari debeant. V. 399 utraque acies ita descripta erat, ut neutri cederent, neutri superiores essent, id quod pulcherrima illa imagine v. 389 — 399 luculentissime expositum erat. Cui quam bene se applicat v. 593, quo Juppiter, qui frustra consumtis omnibus pugnantium viribus unus jam certaminis solutionem afferre potest, quum caedis et ancipitis pugnae pertaesum sit, cladem Achivorum decernit. Ac primus quidem fugit Peneleos Boeotius a Polydamante vulneratus, post eum Leitos manu ab Hectore perfoesa, quos tertius sequitur Idomeneus, Merionis cedens cohortationi nullam jam Achivos victoriam adepturos esse cognoscentis.²⁸⁾ In ea narratione hoc miror, quo modo fuga illius cogitanda sit. Si quis unum hunc locum respicit, una cum Idomeneo et ipsum Merionem fugere procul dubio existimabit. Coeranus enim, Merionis auriga et socius, cum curru ad excipiendum advolat Idomeneae, qui pedibus quum se in proelium contulisset, cum Hectore jam hastam jaculato congressus in extremum mortis discrimen venturus erat. Sed non Idomeneae occidit Hector, sed Coeranum, qui currum vertere vellet, jamque denuo rex in summo periculo versatur, quum subito e campo emergit Meriones, habenas ad terram delapsas comprehendit, Idomeneae ut equos ad fugam impellat, hortatur. Quis igitur non una fugere putabit Merionem, qui habenas arreptas non Idomeneo tradiderit? Etiam si vero quis facile id mente posse suppleri contenderit, tamen mirum est, quod, Idomeneus quidem cur fugiat, in promptu habet Meriones, sibi non habet; quamquam ne vulneratus quidem ille est. — Sed si finem hujus libri respiciamus, remansisse videmus in proelio Merionem, qui v. 717 et 722 una cum Menelao nominatur; nam hi ambo corpus ex proelio auferunt, dum Ajaces aggredientes hostes defendere conantur.

Insunt etiam aliae nonnullae difficultates, quae hanc narrationem suspectam reddere possint, quamquam non insuperabiles illas esse facile concedo. V. enim 609, quum ceteri heroes sine curru pugnent, Idomeneus insistere in curru dicitur.²⁹⁾ Quod quomodo factum sit, v. 612—616 longa interclusionis ambage explicatur, sed ea, quam et ipsam multum molestiae habere vix quisquam negaverit. Sed ut ipsa recte se habeat: tamen secundum eam Coeranus, qui Idomeneae periclitantem videt, curru advenit, eum excipit, eripit certissimae neci; neque igitur, ut ex voce *ἐγείσαστος* videatur concludendum esse, stabat in curru rex, sed ascendit hoc

27) Cf. Betrachtungen p. 78.

28) Nominatur in pugnantium numero Idomeneus cum Merione v. 258 et 259; idem lib. XVI v. 345.

29) Cf. Lachmann, Betrachtungen p. 78.

ipso puncto temporis. Una, quae sufficiat, explicatio erit haec: Idomeneus frustra in Hectorem jaculatus celeriter insilit in Merionis currum peropportune a Coerano advectum; ita non conversum illum Hector, sed aurigam oblique currum devectorum attingit. Quo facto Meriones habenas comprehensas Idomeneo tradit, utque fugiat, eum cohortatur. Tamen totus mihi quidem displicet locus: vix enim crediderim, tantum heroem in tam misera conditione fugere maluisse poetam quam facere aliquid memoria dignum.

Sed parva videri potest ista difficultas, si comparetur cum iis, quas jam superavimus. Transeamus igitur ad reliqua: v. 626 Ajax et Menelaus, etiamtunc fortissimi Patrocli propugnatores, jam adversari sibi Jovem et irasci cognoscunt; quod mire Ajax non ex fulminibus ab illo jactatis neque ex fuga Boeotiorum Idomeneique concludit, sed ex causa multo sane leviore, quod Trojanorum quidem, sive a forti sive ab ignavo viro missum sit, telum nullum frustra jaciatur, ipsorum autem omnia incassum cadant. Pergit admonere Ajax suos, ut ex turba conentur corpus eripere et se ipsos servare. Itaque quod servantur eo modo fugientes, non, ut nonnulli putant,³⁰⁾ bona Jovis voluntate fit et propitia, sed ipsa ejus ira, qua tantum illis parcitur, ut non plane pereant. — Cupit praeterea Ajax, ut habeat, quem ad Achillem mittat: neque vero se cognoscere quemquam ad talem legationem idoneum, quoniam atra omnes obtegantur caligine. Precatur denique Jovem, ut paululum eas tenebras removeat, ut, quando pereundum sit, in luce tamen perire liceat. Misericordia commotus quum Juppiter auditis precibus vota solverit, celeriter Menelaum, ut circumspiciat Antilochum sicubi reperire possit, adhortatur. Ille nulla mora interposita, aegre tamen multum admonitis Ajacibus et Merione, ut leo saucius ab aula proficiscitur, circumspicit per totam aciem ut aquila praedae cupida, prope Antilochum conspicatur in sinistra totius aciei parte ad pugnam suos incitantem, confestim ad eum festinat. Omnis actio simillima est v. 409 seq., ubi Ajacem idem Menelaus in eadem sinistra acie quaerebat. Atque omnes post illos, de quibus supra demonstratum est, hujus carminis excursus vix potuit fieri, ut nihil dum de Patrocli caede novisset Antilochus; contra si, ut nos fecimus, ex arctiore primarii carminis continuatione illos tollimus, optime omnia cohaerent neque prorsus mirabimur, quod non Automedon, sed Antilochus primus ad Achillem nuntius venit. Perpulere hoc loco, ut supra Ajax, nullo responso reddito mandata Antilochus perfecturus abiret haeret vox, oculi lacrymis complentur, tamen procurrit relictis Laodoco armis equos prope coercenti.

Functus munere redit Menelaus ad pugnantes, renuntiat Ajaci, misisse quidem sese Antilochum, neque vero Achillem venturum sperare, quippe cui arma desint: itaque ipsi deliberent, qua ratione et corpus servare et perniciem instantem ipsi effugere possint. Quo facto Ajax illum et Merionem jubet tollere corpus humerisque auferre, quod ipse cum altero Ajace defensurus sit. Ea actio jam usque ad libri finem tam vegetis orationis coloribus describitur, ut inter pulcherrimas Iliadis partes haud dubie referenda sit. Conversis enim ad fugam principibus omnes jam effuse ad fossam versus fugiunt, ubi caedis omnia plena multique viri armati cadunt.

Restat, ut de initio libri XVIII v. 1—368 quid statuendum sit, exponam; quod Lachmannus ab eodem auctore ortum esse negat. Tamen si libro XVII jam finis Patrocleae esset, totum profecto carmen parum integrum foret et deperisse aliquam ejus partem oporteret. Contra initium libri XVIII arctissime cum libro antecedenti conjunctum est neque, quo gravius offendar, equidem in eo quicquam reperio. Fateor quidem, v. 150, qui aptissimus est lib. XV, 233, parum accurate locum indicari, quum nondum ad naves et Hellespontum, sed ad fossam Achivi pervenerint. At nihil ibi puto nisi quem peterent locum, voluisse poetam indicare, non quo pervenissent, neque „*νήας τε καὶ Ἑλλήσποντον*“ necesse est pendere a „*ἴκοντο*“ sed a „*φείγοντες*“, ita ut intelligatur: „Hellespontum versus fugientes“. Deinde quod Meriones et Menelaus non jam hoc libro commemorantur, sed Ajaces modo cum Hectore dimicantes, nihil miror. Illorum enim imago pulcherrima ratione supra expressa erat, quippe qui in fine libri XVII cum multis grave quoddam onus portantibus compararentur; quid igitur denuo repetitam inani verborum pompa et specie extenuari illam sententiam attinebat? Sed urgente temporis necessitate quo suspensiores ipsi inter spem metumque tenemur, eo sapientius rem ita instituit poeta, ut ad Ajaces potissimum animi nostri converterentur. Murum denique, qui v. 215 offertur, castrensem non desse in ceteris Patrocleae partibus, supra demonstravisse mihi videor.

30) Cf. Faesium ad v. 546.

Ac venuste quidem et eleganter hujus libri initio magnam cum libro XVI similitudinem intercedere facile cognoscitur. Illic enim Hector usque ad naves progressus jam navem unam accensurus erat; unus Ajax impetum ejus sustinet, sed is quoque fessis jam labantibusque viribus. Ad eundem finem in libro XVIII res reducta est: iterum Trojani superiores sunt, iterum Hector Achivos premit jam ipsum Patrocli corpus occupaturus, quod, ut navis supra, ab Ajace potissimum Telamonio defenditur. Denique ut illic de Achivorum laboribus Patroclus certiozem Achillem facit, ita hic Antilochus, post illum Achilli carissimus, caedem Patrocli renuntiat. Itaque pari quodam modo omnia ad unum irascentem in tentorio et otiosum Achillem spectant, in quo una salutis spes posita est; ita ut finis totius carminis optime et pulcherrime ad initium quasi redeat.

Uterque Achillis amicus advenit lacrymans tristesque in eo cogitationes movet. Quem hic videmus jam ante Antilochi adventum anxiiis jactatum curis et quid acciderit amiceo sollicitum, reminiscentem simul veteris cujusdam oraculi a matre accepti; jamque, quae metuit, pro certis habet reprehenditque amicum, quod male praeceptis suis obtemperaverit, quum ipse accedit dirae calamitatis nuntius crudelissimoque illum dolore afficit. Cujus querelis auditis mater ex intimo, ubi apud patrem moratur, maris sinu cum Nereidibus³¹⁾ accelerat, ut quae tam acerbi sit doloris causa, praesens cognoscat. Percontanti illi multis verbis luctus causam exponit, neque jam vivere se velle confitetur, nisi ulcisci amici caedem potuerit. Querenti, quod post illum continuo ipse moriturus sit, fortiter respondet libenter se moriturum esse, et jam profecturus est, quum retentum illum, arma deesse ipsi, admonet, quae jam ab Hephaesto petitura proficiscitur, admonito filio, ne prius proelio sese immisceret, quam arma accepisset.

Interea corpus Patrocli, ad quod denuo v. 148 reducimur, summo in discrimine versatur, quum Iris, ut avertat extremum periculum, clam Jove ceterisque diis a Junone missa Achillem hortatur, ut celerrime ad auxilium ferendum acceleret, excusantem, quod arma sibi desint, inermem ad fossam apparere jubet, si forte ejus aspectu perterriti desistant a proelio hostes paulumque Achivi animos recreent. Ita ipsa Minerva aegidem obtegente proficiscitur ille, ter tollit clamorem aeneae tubae similem, terrorem injicit Trojanis, Achivos ab eorum impetu liberat, ita ut corpus ex illorum manibus ereptum feretro in Achillis tentorium deportent. Occidit sol, finitur certamen v. 239—242. Excipit concio Trojanorum, in qua dis jam adversantibus Hectoris vincit consilium; deinde luctus Myrmidonum de occiso heroe, postremo Jovis Junonisque colloquium usque ad v. 368.

In universa hac extrema Patrocleae parte perpauca tantum inveniuntur, quae emendatione egeant; itaque quam brevissime potero reprehensis iis, quae minus convenient, finem faciam.

Ac primum quidem parum sibi constanter Achilles agit. Pollicetur enim matri, non se in proelium abiturum esse, priusquam ab illa arma divina acceperit v. 134—137. Tali de vita sollicitudine cruciari in extrema praesertim, qua tum affectus erat, motione animi nec decet omnino tantum heroem, qui una excepta corporis parte ne vulnerari quidem poterat, et valde abhorret a forti ejusdem responso v. 114—121 matri reddito. Porro qui fieri potuit, ut tam brevi Antilochi admonitionem, celerrime ut adveniret, cohortati obvisceretur et sequentem diem opperiri vellet, quum ipsum Patrocli corpus ne corripere ab hostibus, in summo esset periculo? Ut se conferat tandem ad tuendum amicum, denuo opus est Iris impulsu; sed etiam ea v. 166 seq. eum incitante cunctanter et timide v. 188 seq. inertiam excusat, quod inermis se hostibus objicere nequeat, quae ejus dubitatio v. demum 197 seq. ab ipsa dea refellitur.

Quem locum equidem valde mihi displicere libere confiteor: multo omnia pulciora fore judico, si audito tristi nuntio primoque dolore suppresso confestim Achilles ad fossam properaret, ut amici corpus tueretur. Accedit, quod, quo se contulerit Antilochus, nusquam dicitur: colloquio enim Achillis cum Thetide silentem illum interfuisse mihi quidem haud sane probatur, nec minus mirum foret, si nullo dum ab Achille, quid facturus esset, responso reddito necdum sedato ingenti luctu, quo eo ille abripitur, ut sibi ipse ne manum immittat, verendum sit,³²⁾ Antilochus proficisceretur. Num igitur hic bonus dormitat Homerus? an ad aliam medicinam confugiendum erit? Equidem vix dubito, quin hoc loco quaedam delenda sint, sed quae et quanta, difficile dictu est. Atque libentissime ego omne illud Thetidis et Achillis colloquium sustulerim, quod super-

31) Quorum nomina Hesiodea potius quam Homericis ratione v. 39—49 enumerata esse, recte jam Zenodotus animadvertit.

32) Cf. v. 32 seq.

vacaneum esse hoc loco et ei tantum necessarium, qui totam Iliadem inter se congruere postulet, pro certo et confesso facio. Profectio enim Thetidis ad arma a Vulcano petenda nihil ad Patrocleam pertinet, sed ad sequentem modo *δπλοποιταν*. At si cui audacior haec opinio videatur et nimis temeraria, is hoc fortasse concedet, eam colloqui partem corruptam esse, qua Achillem mater hoc die pugnare vetat.

